ÆGIDII MENAGII POEMATA.

TERTIA EDITIO
auctior & emendatior.



PARISIIS,
Apud AVGVSTINVM COVRBE', in Palatio Regio, ſub ſigno Palmæ.

M. DC. LVIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO VIRO

CAROLO SANCTAMAVRO MONTAVSERIO

ECOLISMENSIS ET SANTONICÆ PROVINCIARVM

PRÆFECTO,

REGALIS EXERCITVS DVCI

ÆGIDIVS MENAGIVS S.

EFFLAGITASTI officiosissimo convicio, illustrissime, &, quod potius duxerim, eruditissime MONTAVSERI, vt mea, quæ passim jacebant, Carmina in vnum corpus redigerem. Mandavi GIRALDO,

Per quem perire non licet meis nugis,

ea vt colligeret. Collegit, & quidem quàm oportuit diligentiùs: dum enim omnia mea

probat, qui me mirum in modum amat, minùs profectò judicii in iis eligendis, quàm studii in congerendis adhibuit. Collecta ecce mitto ad te: non quòd illa, Vir præstantissime, excellenti tuâ eruditione digna existimem; verùm ne tibi in omnibus non obsequi videar, qui tibi omnia debeo; simulque vt intelligas me quidvis tuâ caussâ facere & porro facturum, etiam quod mihi non præclarum & gloriosum futurum sit. Scripsit summo vir ingenio & scientia singulari Philosophus, Artifices omnes opus suum adamare, Poëtas autem præcipuè. Et sanè ita se res habet: in hoc genere, nescio quo modo, magis quàm in aliis, sua cuique maximè placent; ac nemo vmquam Poëta fuit, qui quemquam præstantiorem quàm se crederet, quíque se non libenter ceteris anteferret. Ipse vel hoc vno me non esse Poëtam intelligo: qui enim Carmina mea minùs probet quàm ipse facio, inveniri vix quemquam posse arbitror. Nec certè Poëtæ tantum & tam divinum nomen meretur is, qui scribit, vtì nos, brevia quædam, & pauca, & sermoni propiora, & quæ raro assurgunt, quæ motu carent, in quibus nulla inflammatio animi, nullus Numinis afflatus:

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.

Adeò verum est, quod aiunt, mediocres Poëtas

Poëtas non esse, & Poësim quæ admirationem non habet, nullam existimari. Nascuntur Vates, non fiunt. Quis verò vmquam ad scribendos Versus minùs quàm ego naturâ valuit? Quis magis adversa, quæ Vatibus præsunt, Numina expertus est? Et Poëticen solùm attigi, ne, vt de Pomponio Attico scripsit Cornelius Nepos, expers essem illius suavitatis. Tu tamen, humanissime MONTAVSERI, nostros esse aliquid Versus putabas. In eo te mihi assentari stultus sim si credam: Te, inquam, Virum, si quis alius, candidum, apertum, Veritatis cultorem, Simulationis inimicum: Virum Natalium splendore illustrissimum, Dignitate clarissimum, Divitiis potentissimum, Belli Pacisque artibus celeberrimum. Quòd igitur tibi Poëtices peritissimo Nugæ nostræ Poëticæ minimè displicebant, id amicitiæ tribuendum, cui non pulcra, etiam pulcerrima videntur. Est verò quod sic quoque mihi gratuler, me scilicet tam mirificè à te amari, vt amor in me tuus judicio, quo polles, perspicacissimo imponat. Sed quandò nos amas tantùm quantùm profectò amas, existimationem quoque nostram amare non mediocriter, eique sedulò consulere debes. Quare si Versus illos meos in manus Hominum venire voles, eos priùs vt emendes, hoc est planè alios, & tuos facias velim. Equidem qui te rectiùs emendare eos possit

neminem novi: nam de Poëtica non solùm omnium optimè judicas, sed eam feliciter colis. Testes sunt quos Latinè scripsisti & vernaculè tersi atque elegantes Elegi, qui ipsiusmet Amoris scripti manu CAPELLANO videbantur: ita spirant Veneres Cupidinesque. Testes vividæ illæ atque acres Satiræ, quæ nobile & generosum illud tuum quodammodo præ se ferunt, & quas te eodem quo pugnas animo scripsisse, hoc est igneo, excelso, sublimi CONRARDUS existimabat. Testes miræ rotunditatis Epigrammata, quæ nuper mirabundo mihi recitabas, quæ NICOLAUS HEINSIUS, Patris filius, antiqua putabat, & quæ quantus in Poëtica sis vel sola ostendunt. Scio quosdam esse qui vobis Imperatoribus rei Poëticæ scientiam vitio vertant. Quin & quemdam ex Aulicis vidi, hominem stupendæ inscitiæ & stolidè ferocem, pæne nomen adjeci, qui Iulio Cæsari, at cui viro? pædagogicum fuisse ingenium, quia Latinè scripserat, in Circulis decantabat. Sed ineptissimi, insulsissimi, imperitissimi Hominum, non intelligunt Marti & Musis optimè convenire, & mansuetiores illas Deas non Ducum animis mollitiem afferre, sed eorum mores asperos emollire. Onerarem hanc Epistolam exemplis, si omnes persequi vellem, qui Bella simul & gesserunt strenuè, & præclarè cecinerunt. Igitur, si te non piget, ne te pudeat Car-

minum nostrorum esse Aristarchum, & eâdem quâ Hostes profligas manu, illa emendare. Certè Scipioni atque Lælio Imperatoribus Terentium in scribendo adjuvare indecorum non fuit. Adjice, detrahe, muta: tibi in me meáque omnis potestas atque auctoritas esto. Amatorios Versus, pudicos licèt, hîc excusarem, si meum esset exemplum. Sic scripsit quicumque Versus scripsit: & profectò sine Venere frigent Carmina. Sed cui non sit venia post Cardinalem PERRONIVM, BERTALDVM Sagiensem Episcopum, PORTÆVM Tironensem Abbatem, qui amatoria, quæ Iuvenes fecerant, etiam in amplissimo gradu Dignitatum constituti, etiam Seniores, publicare non dubitarunt? Vnum addam, Libellum hunc nostrum Græcos, Latinos, Gallicos, Italicos Versus continere, vt si placere bonitate non possit, varietate forsan possit non displicere. Qualiscunque tandem videbitur, eum tibi, illustrissime atque eruditissime MONTAVSERI, pignus amoris & monumentum obsequii erga te mei do, dono, dico, consecro. Vale & vince. Luteciæ Paris. pridie Non. April. CIↃ. IↃC. LII.

Martialis lib. IX. *Epigr.* I.

Majores majora ſonent : mihi parva locuto
Sufficit in veſtras ſæpe redire manus.

ÆGIDII MENAGII POEMATA LATINA.

PER SCAZONTEM CARMINA SVA MITTIT IOANNI CAPELLANO.

SI non gravaris, teque non piget, Scazon,
(Via namque longa est, tuque claudicas) nostro
Librum, rogamus, hunc feras CAPELLANO,
Ipsique verba fidus hæc simul dicas:
Imago ſpirans Atticæ venuſtatis,
Flos Gratiarum, corculum Camœnarum,
Ocelle Vatum, ſæculi decus magnum,
Sophiæ medulla, cultor integer recti,
Cæleſte pectus, mens referta doctrinæ,
Prudentiæque perſpicacis exemplum,
Tibi hoc volumen Carminum novellorum
Tuus ſodalis dat Menâgius dono.

Grajas, Latinas, Gallicas capit Muſas,
Vt ſi placere non queat venuſtate,
Tibi non placere varietate non poſſit.
I, perge, propera. quid moraris, ô Scazon?
Numquid repletis virulentiâ probris
Aſſuetus omnes provocare Mortales
Quemquam recuſas laudibus celebrare?
Inepte, neſcis quis ſiet CAPELLANVS:
Non ipſe Livor, cuncta dentibus rodens,
Laudare noſtrum deneget CAPELLANVM.

En ſua Menagius CAPELANO *Carmina mittit,*
Exiguum ingentis pignus amicitiæ.

GARGILII MACRONIS PARASITOSOPHISTÆ METAMORPHOSIS AD IO. LVD. BALZACIVM.

GARGILIVM *errantem, cœptiſque immanibus auſum*
Caſtalios pede ſacrilego conſcendere colles,
Dejectumque alto bifidis de vertice furcis,
Et nigro virides ſumentem corpore plumas
Pandere fert animus, ſaclisque aperire futuris.
Phœbe Pater, voſque Aonides date verba canenti,
Nam veſtrum decus atque vltrices ordior iras,
Ac mihi mutatæ cauſſas expromite formæ.
Tuque adeò decus Aonidum, Phœbique Sacerdos,
Eloquii facunde parens, Suadæque medulla,
Quo neque apud Superos loquitur facundiùs Hermes,
BALZACI, *ſi fortè vacat, ſi ſeria nugis*
Permiſcere juvat, Carmenque audire jocoſum,
Huc ades, & vacuas noſtris da cantibus aures.
Quà collis, Genovefa, tuus ſupereminet Vrbem,
Stat Becodina domus, docti notiſſima quondam
Atria Gallandî, quo non felicior alter
Ingenia & mores teneræ formare Iuventæ;
Francigenæ quondam ſedes gratiſſima Vati,
Vindocinus tenues magno quo Ledus alumno
Nobilitavit aquas, Mincîque æquavit honores;
Nunc latebra Indoctis, vilique habitata popello
Crypta, ruinoſis centum ſuffulta columnis.

Illic exiguo conduxerat ære penates
Gargilius, (Græci *sibi fecit ab indole nomen)*
Grammaticus, Rhetorque malus. Si cetera quæris,
Longus homo, niger ore, & nares fractus aduncas,
Purpureis ebuli baccis, nimiùmque rubenti
Certantes minio: Bacchus sic pinxerat ardens.
Ferrea vox olli, dens ater, plurima cervix,
Os durum, durumque caput, queis Scurra solebat
Serviles alapas, &, debita præmia, fustes
Excipere, & validis vibratas viribus ollas.
Garrulus atque procax, non rarus carceris hospes,
Clamosus, nugator, iners, convicia totus:
Sed bonus auditas retinere & reddere voces,
Et qui, dapsilibus tendit dum retia mensis,
Manè salutator Magnatum irrumperet ædes,
Cursibus insanis non sufficiente caballo.
Ille quidem & Musis & Apolline natus iniquo,
Dum tamen ARMANDVM *doctas & amare Camœnas,*
Et videt eximiis facere otia læta Poëtis,
Carmina tentavit, (sedenim cogebat egestas)
Atque Virum longis in cælum laudibus effert.
Sed neque facundo, facili neque Carmina versu
Condebat, nec læta malo bonus otia fecit
ARMANDVS *Vati, neque laudes emit ineptas.*
Vota facit supplex, votis suspiria miscet:
Phœbe veni, & menti præsens illabere nostræ,
Vosque, ait, ô Phœbi, doctissima turba, Sorores.
Ociùs in nostrum faciles descendite pectus,
Divinoque mihi tumeant præcordia motu.
Nec Doctæ venêre Deæ, nec vênit Apollo,
Nec misero ingenium, nec vis concessa canendi,
Aridáque ingenti lassavit pectora curâ.
Ergo iter ire parat, Cirrhæque invisere collem,
Et Musas Phœbumque sequi, coramque morantes

Increpitare Deos, doctasque insistere sedes.
Scilicet audierat subitos prodire Poëtas,
Queis datur Aonii superare cacumina montis.
Nec fore difficiles aditus, nec posse negari
Credidit hospitium: magno dilectus amore
Mnemosynæ, quâ matre novem, pia turba, Sorores
Se genitas gaudent, & erat dilectus Iaccho,
Cui simul & Phœbo servit Parnasia rupes.
Nec mora, scandit equum, ferulâque armante sinistram,
Quâ solitus tremulas Puerorum cædere palmas,
Magnum iter ingreditur. vastâ cervice fluebat
Syrma ingens, longèque pedes currebat ad imos,
Et totum vndanti velaverat orbe caballum.
Quas non ille plagas, quæ non loca lustrat anhelis
Cursibus? horrenti densas caligine silvas,
Et penetrat valles: campis vagus errat apertis:
Vrbes acer obit. miser, ignarusque locorum
(Nam neque vbi pars vlla foret cognoverat orbis)
Quæsiit Aonios totâ tellure recessus.
Orbe pererrato, quartæ post frigora brumæ,
Mille per ambages, duros post mille labores
Tandem iter incœptum peragit, montique propinquat.
Quem primùm vt vidit, salve ô Parnasia rupes;
O salve æternis sedes mihi debita fatis:
Salve ô Bacche Pater, genialis consitor vvæ;
Et bona Latonæ proles, intonse capillos,
Qui Delphos, Cynthumque regis, Pataramque, Rhodumque:
Vosque, ait, Aoniæ tandem salvete Sorores,
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς Αἰγιόχοιο.
Dixerat: exhausto tot cursibus inde caballo
Desilit, &, sacri conscendens culmina montis,
Impulit ingenti ferratos impete postes
Aonidum. crepitu resonant Parnasia tecta
Vndique: Pieriæ resonant longè vndique valles.

Fallimur, an nobis, docta dixere Puella,
Magnus adest Vates? Phœbeas nemo furore
Pulsavit majore fores. occlusa repente
Melpomene (foribus tum proxima fortè sedebat)
Atria Parnasi reserato cardine pandit,
Et formam mirata viri, nomenque, genusque
Protinus ipsa rogat: tanto quid cogitet astu,
Quid velit. insano contrà movet ora boatu
Multa parans. Non sum vestris, ait, advena sacris.
Ille ego sum, Musa, vester, Phœbique Sacerdos,
Vrbe Parisiacâ quo non præstantior alter
Ludere in Antithetis, in priscis ludere verbis,
Gallica Romanis, Romana aspergere Græcis,
Condere *Acrostichidas, Paragrammata, Symbola, Griphos,*
Et condire *novo regalia fercula luxu.*
Vnus eram Tiberî solers dissolvere nodos,
Si Fors Grammaticis vellet me innectere tricis.
Vnus Odysseam novi perlegerit Hellas
Iliademne priùs. genitor mihi cognitus Anci.
Quæ genitrix Hecubæ novi; quod nomen Achillî,
Cùm Iuvenis longâ decepit veste Puellas;
Et quod Vlysseo daret olim prisca molosso
Fabula. Quid caneret fallaci in litore Siren;
Quot Niobe natos, nautas *quot haberet Vlysses:*
Nutricem Anchisæ, nomen, patriamque novercæ
Anchemoli *novi*: quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculi Phrygibus vini donaverit vrnas,
Quamve manum Diva, Paphias quæ possidet arces,
Impius immiti Diomedes læserit hastâ.
Quid moror? Ille ego sum toto memoratus in orbe
Gargilius Rhetor, Græcum *cognomine dicunt.*
Vixdum Gargilii nomen proferre Sophista
Desierat, cùm Diva tuens hunc lumine torvo,
Talibus ora modis subitò indignantia solvit:

Tune is Gargilius, toto notissimus orbe,
Vilis adulator, Procerum convivia captans,
Quem tot carminibus, sparsisque subinde libellis
Ridendum populo docti exhibuere Poëtæ,
Atque Quaterdeni, lectissima turba, Sodales?
Tune is Gargilius? Tun' nostræ dedecus artis,
Inclyta qui fœdo temerasti carmine facta?
Non sic dedecori nobis, ludibria Vatum,
Indecores lixæ Phœbeïa castra secuti,
Chœrilus & Bavius, Suffenus, Mævius, Anser,
Aut quicumque sui vixere opprobria sæcli.
Te propter Procerum pelluntur limine Vates:
Turba Professorum te propter Regia sordent:
Spernuntur facunda cohors: Te propter eumdem
Spernimur ipsæ etiam, cunctis nova fabula cœnis.
Tu tamen, ô vecors! sacrum conscendere montem,
Æternisque comas ederis ornare profanas
Expetis, Aoniosque amens haurire liquores,
Vilibus vrticis & vili tempora fœno
Cingere, & Anticyras melior sorbere meracas.
Hic sacer est, absiste, locus: procul esto Profane.
I, fuge perpetuus Parnasi à finibus exul,
Castaliâ interdictus aquâ, interdictus & igni
Pierio. Non serta movent me vestra, nec vndæ,
Ille refert: valeant quæ Vatum tempora cingunt:
Sola meos ornent Baccheïa serta capillos.
Nec mihi si lymphas Aganippe indulserit omnes,
Proluere ora velim: vestros nec poscimus ignes.
Dudum alius nostri, faciles ignoscite Divæ,
Pectoris accendit penetralia pulcrior ignis.
Hoc lucere focus, gaudetque ardere culina.
Hic habuit nostros & solus habebit amores.
Sit modò, sit vestri mihi fas insistere collis
Culmina, sit subitum mihi fas prodire Poëtam,

Vt quondam Ascræus felici munere Pastor,
Ἄρνας ποιμαίνων Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.
Hæc mihi caussa viæ, tantorum hæc caussa laborum:
Hoc mihi quodcunque est, Divæ, concedite munus.
Vos ego per fratris genialia numina Bacchi,
Numina, queis vivo primis devotus ab annis;
Hoc per Mnemosynen supplex vos oro parentem,
Mnemosynen, quæ me ante aliòs & semper amavit
Et fovit, quamque ante alias & semper amavi
Et colui. Non me indecorem mea Gallia vidit;
Namque ego sum Graji Parisinâ Interpres in Vrbe
Regius Eloquii, magno succedere dignus
ORTHROPHAGO, (Auratum *Lutecia docta vocabat*)
Facundis dignus succedere & ipse GVLOSIS,
Atque COMESTORI : *nec certè indebita posco.*
Aonis vt sensit malesanâ mente locutum,
Risit, & Insano convicia vindice linguâ
Pœnituit dixisse Deam; tumidamque repentè
Deponens iram, placido sic incipit ore:
O bene Pieriis surgit quòd proxima campis
Anticyra! hîc fatuo certa est medicina cerebro.
Ociùs hanc adeas, bone vir. nec plura locuta,
Occludit valvas, & Rhetora limine pellit.
Flectere Melpomenen desperans posse precando
Gargilius, limen vi multâ irrumpere tentat.
Iamque excludenti manibus pedibusque repugnans;
Vim demens inferre Deæ, valvisque parabat.
Melpomene tragicâ conclamat voce Sorores,
Auxiliumque rogat. tenuit mora nulla vocatas.
Accurrunt Erato, Euterpe, Polyhymnia, Clio:
Terpsichore citharis properans venit ipsa relictis;
Et venit Vranie molli comitante Thaliâ.
Martia Calliope non adfuit vna vocanti;
Nempe CAPELLANI *notas migrarat in ædes;*

Cla-

Claram illi cessura Tubam, quâ grandia forti
Virginis Aureliæ memoraret prælia versu:
Virginis, ante alias tanto Scriptore beatæ.
Pegasidum fremebunda cohors ruit omnis in vnum
Gargilium, & celso furcillis Rhetora monte
Præcipitem ejiciunt. Longo ille per aëra tractu
Labitur in terras: verùm, quis crèdere posset?
Labitur illæsus: perflans nam fortè cadentem
Sustinuit circum sinuato syrmate ventus.
Non hoc Gargilius casu perculsus iniquo,
Pugnam instaurare, & variis assultibus omnem
Cingere Parnasum. nunc hos, nunc nititur illos
Expugnare aditus. prohibent, montèmque tuentur
Vndique Castalides; majore sed impete fertur
Sic quoque Gargilius. mentes pavor occupat amens
Aonidum. trepidæ clamorem ad sidera tollunt.
Melpomene ante alias: Quid non mortalia tentant
Corda? licere volunt nil non sibi. perfidus olim
Hospitio acceptis, intra sua tecta, Pyreneus
Vim facere aggressus: nunc tantò audacior iste
Vim parat in nostris (quis credat?) sedibus. O tu
Delie, quem missæ non decepere sagittæ,
Quem colit hæc rupes, vbi nos violamur, ab alto
Nos Iove prognatæ, tantum compesce furorem.
Fer nobis, fer Frater opem, miserere Sororum.
Audiit Arcitenens pavitantis verba Camœnæ,
Dum sua vicinis profert oracula Delphis,
Rhetoráque adspectans quem numquam adspexerat antè,
Proh scelus infandum! quæ te vecordia demens
Impulit invitis Parnasum irrumpere Musis?
Non impune feres, longùm aut lætabere cœpto.
Dixit: & auratâ telum legit ille pharetrâ,
Quo minùs incertum non est, nec acutius vllum,
Mittit & in stulti caput insanabile Vatis.

Duritie capitis telum, mirabile dictu,
Ecce velut ferro, solidove repellitur ære.
Nec secùs ac quondam vacuas cùm malleus ollas,
Aut missus cùm fortè lapis cava tympana pulsat,
Insulsi capitis vastæ insonuêre cavernæ.
Mirantur casum Aonides, miratur Apollo.
Graculus at contrà crocitanti voce Magister
Exclamat, supplexque ad Phœbum brachia tollit:
Κλῦθι μευ ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην. *& Græcè plura parabat*
Dicere, flexibilem tendens cùm Delius arcum,
Telum iterum frontem in mediam direxit; at illud
Fronte iterum durâ resilit, nec plaga secuta est.
Graculus irasci, rabie fera corda tumere,
Contorquere oculos; tum talia vociferari:
Egregiam verò laudem! *vos persequi inermem*
Non pudet armatos? quæ tandem gloria vestra est,
Si Dii Mortalem, si plures vincitis vnum?
Sed non vincetis, faveas modò, Diva, roganti,
O decus, ô nostræ meritò pars maxima famæ,
Mnemosyne mater. sacri penetralia montis,
Per sceptrum hoc juro, (ferulam de more gerebat)
Quod postquam in silvis vivâ de stirpe recisum
Matre caret, nullâ poterit nunc fronde virere,
Invitis jamjam Musis & Apolline adibo.
Insonuisse caput Parasiti, & vulneris expers
Mirantur Clariæ rursum: miratur, & irâ
Ardescens tacitâ repetebat Delius arcum.
Vt caput esse videt nullis penetrabile telis,
Parte aliâ quæ sit lethi via tentat, acuto
Transque adigens pectus, prostravit Rhetora telo.
Decidit exanimis. Subitò, mirabile visu,
Contrahitur: pandus rostrum fit nasus aduncum:
Brachia cœperunt villosa virescere pennis,

Inque alas abiere : pedes curvantur in vngues,
Et virides toto surgunt de corpore plumæ.
Psittacus ales erat. miserum sic vertit, iniquam
Mnemosyne fidi sortem miserata Clientis;
Illum at præcipitem Musæ & risere volantem.
Lingua salutatrix & priscum χαῖρε *remansit,*
Priscáque garrulitas, & adunci purpura nasi,
Durities capitis, vox ferrea, plurima cervix.
Quíque olim fuerat tenebrosi carceris hospes,
Nunc caveæ clathros iratis morsibus vrget.
Nunc quoque nugator, nunc & vinosus, edaxque.
Nunc & Scurra procax, nunc & convicia totus.
Nunc etiam meminitque libens quas Psittacus audit,
Atque amat auditas clamosus reddere voces.
Illum Gargilio scires è Rhetore factum.

SVBSCRIBENDVM IMAGINI MACRONIS PARASITI cognomento Græculi.

ILLE *ego sum totâ* MACRO *notissimus Vrbe,*
Græculus esuriens, & Parasitus edax.

PETRI CORNELII TRAGICORUM PRINCIPIS EPICEDIUM.

Scripſeram, cùm falsò nuntiatum eſſet Cornelium, quo die vxorem duxerat, ex peripneumonia deceſſiſſe: nam vivit Cornelius, & precor vivat.

INVIDA, CORNELI, *poſtquam te fata tulerunt,*
Aonidum ſiluit muta dolore Cohors:
Areſcunt ederæ, marcet Parnaſia laurus,
Pigrior Aonii gurgitis vnda fluit.
Non plauſus auditi illis, non Scena diebus,
Nullus honor Ludis, gratia nulla fuit.
Adſpicis, aulæis nunc ſordent Pulpita mœſtis:
Florida quæ fuerat, nunc nigra Palla jacet.
Adſpicis, aſſiduo reſonant plangore Theatra,
Fletibus aſſiduis Grex & vterque madet.
Pulpita MONDORIUS *(nam cujus carmina dicat?)*
Ad ſua nunc etiam non rediiſſe velit.
Et quæ læta priùs, mœrens Comœdia luget,
Et lugent Riſus, luget & ipſe Iocus.
Ipſa ſuos etiam lacrimoſa Tragœdia planctus
Ingeminat, triſti triſtior Alcyone.
Neuſtria doctorum nutrix celeberrima Vatum,
Et Civem & Vatem congemit orba ſuum.

Quòd si Immortales mortalia flere deceret,
(Sed lacrimas magnis non decet ire Deis)
Interitum fleret Bacchus, divine Poëta,
Castalides flerent, fleret Apollo tuum.
Occidis ante diem crudeli funere raptus,
Cùm daret egregium prima juventa decus:
Quaque recèns thalamo teda fulsere jugales,
Funerea lucent, proh dolor ! & tumulo.
Occidis, ô nostra, CORNELI, *gloria gentis,*
Et de te posthac nil nisi nomen erit.
Quid tibi BIGNONÎ *prodest meruisse diserti*
Iudicium, & tanto tam placuisse viro?
Quid prodest habuisse sales artemque Terentî?
Quid Plauti veneres, quidve habuisse jocos?
Digna Sophocleo quid carmina docta cothurno?
Quidve Cothurnati dicta diserta Sophi?
Quid Populi plausus, testatáque palma Theatris?
Ah! tibi quid toto profuit orbe legi?
Este procul Musa: valeatis Apollinis artes,
Et tragici Princeps tu, Dionyse, Chori:
Si nil vos coluisse juvat; si vatibus vllam
Aoniis segnes ferre negatis opem.
Et tamen Ismario dederat Regnator Averni
Flexanimâ Parcas flectere posse lyrâ.
Non minùs hoc noster poterat, qui lene canebat,
(Si quando querulum sollicitaret ebur)
Nec minùs argutè cecinit quàm Thracius Orpheus,
Quàm Philomela querens, quàm moribundus Olor.
Invidit Lachesis, merita convicia Vates
Plurima cui tragicis dixerat antè sonis;
Osque pium dirâ tussi praclusit, acerbas
Ne posset solitâ tangere voce Deas.
Tu Vatum venerande Parens, tu mitibus herbis
Stamina Parcarum qui revocare potes,

Ah pudor! ah facinus! divino nonne Poëta
Debueras medicas applicuisse manus?
Scilicet ille tuus, nimium exorante Dianâ,
Eripuit letho filius Hippolytum.
Arte tua saltem poteras ut seriùs iret
Hospes in Elysium nobilis umbra nemus.
An tibi conferri doluisti? proxima certè
Carminibus fecit carmina, Phœbe, tuis.
Tale nefas Tethys vix eluat omnibus undis,
Queis te præcipitem mergere fessus amas.
Vana queror: certâ volvuntur Stamina lege,
Et Colus in nullas officiosa preces.
Culta dabunt Vati victuram Carmina famam:
Ingenii solâ laude superstes erit.
Vita fugit; sed fama manet tua, maxime Vates:
Secla feres Clarii munere longa Dei.
Donec Apollineo gaudebit Scena cothurno,
Et vivent ignes, pulcra Chimena, tui;
Quos malè qui carpsit, dicam, dolor omnia promit,
Carminis Iliaci nobile carpat opus.
Itale testis eris, testis qui flumina potas
Flava Tagi: nec tu, docte Batave, neges:
Omnibus in terris per quos audita Chimena est,
Iamque ignes vario personat ore suos.
Nec tu, crudelis Medea, taceberis umquam,
Non Grajâ inferior, non minor Ausoniâ.
Vos quoque, Tergemini Mavortia pectora Fratres,
Et te, Cinna ferox, fama loquetur anus.
Quid referam soccos, quos tempora nulla silebunt,
Totque Elegeïa tuos, totque Epigramma sales?
Fama manet; sed vita fugit tua, maxime Vates,
Et, mihi non posthac conspiciendus, abis.
Tu mihi; tu posthac non conspiciendus, abisti:
Dimidiâ vivam nec nisi parte mei.

Dimidium nostri fueras, dum fata sinebant,
Mortuus & nostri es nunc quoque dimidium.

EIVSDEM TVMVLVS.

HIc jacet ille sui lumen CORNELIVS *avi,*
Quem Vatem agnoscis, Gallica Scena, tuum.
An major fuerit socco, majorve cothurno
Ambiguum, certè magnus vtroque fuit.

IN CORNELIVM REDIVIVVM.

MAGNVS *ab infernis remeat* CORNELIVS *vmbris,*
Et potuit rigidas flectere voce Deas.
Threïcium numeris Vatem qui dulcibus aquat,
Debuit & numeris non potuisse minus.

AD IO. CAPELLANVM DE NOVO LIBELLO BALZACII EPISTOLIVM.

DI *magni aureolum novum Libellum,*
Quem tu scilicet ad tuum Sodalem
Misti! Cultior elegantiorve
Non est, non fuit, aut futurus vmquam est;

Nec si mittam ego quantùm habet Thuani
Ingens Bibliotheca Memmiique,
CAPELLANE, *simul tibi librorum,*
Te possim vt cuperem remunerari.
Tam culti ac lepidi novi Libelli
Sic nos eloquium, leposque cepit;
Sic cepere sales, facetiæque,
Vt deponere non mihi potestas,
Totum quin avido meus GIRALDVS
Ad lucem vigil vsque lectitasset.
Per nobis veneranda sacra Phœbi,
Omnes perque Deos Deasque juro;
Noctem non habui beatiorem,
Et noctes habui tamen beatas.
Coram hæc gaudia prædicare nostra;
Vt mos est meus, & decet, volebam.
Nunc verò ire tuos mihi penates
Quando non vacat occupatiori,
Hoc Epistolium tibi exaravi,
Ex quo judicium meum videres
Illo de aureolo novo Libello,
Quod tu BALZACIO *tuo meoquè*
Cras perscribere sedulus memento.
At flos ingenii ille delicatus,
Princeps Eloquii, medulla Suadæ,
Disertissimus Eruditiorum,
Et doctissimus Eloquentiorum,
Ille BALZACIVS *tuus meusque,*
An me nescio tantùm amet probetque;
Illum quantùm ego diligo proboque.
Hoc vnum scio, quanti is est apud me;
Pluris non queat vllus esse cuiquam.
Verùm si mihi vera nuntiasti,
Ac me mirificè probat probantem,

Plus

Plus amatque oculis suis amantem
Disertissimus Eruditiorum,
Et doctissimus Eloquentiorum,
Ille BALZACIVS *tuus, meusque,*
Quis me lætior est, beatiorve?

IN

SIGILLVM AVREVM

QVOD KAL. IANVARIIS

BALZACVS

MIHI DONO DEDIT, IN QVO SCALPTA MALVS AVREA.

QVO *te Carmine prædicem, Sigillum,*
Arbos aureolis onusta malis?
Quâ te prosequar aureum Camœnâ,
Iani quod mihi muneri Kalendis
Misit BALZACVS *ille noster, ille*
Nostri delicium, decusque sæcli?
Signare an quòd Epistolas solebas,
Illas BALZACI *Epistolas diserti,*
Disertas, faciles & eruditas,
Totus quas legit & requirit orbis?
An quòd Mnemosynon mei es Sodalis,
Cujus semper amor, memorque sensus,
Vel post pota pigra fluenta Lethes,

Nostri pectoris intimo manebit?
An quòd materies & ars magistra
Carum te facit & nimis venustum?
Nam quid carius esse possit auro?
Quod venustius expolivit olim
Docta Praxitelis manus toreuma?
Non te propterea, aureum Sigillum,
Carum dixero vel nimis venustum,
Non te prosequar aureâ Camœnâ:
Sed quòd tu mihi BALZACI *elegantis*
In nos eximium probas amorem,
Quo quid dulcius est, beatiusve?
Nimirum nihil is mihi recondit,
Signatum nihil aut habet repostum:
Is sensus animi recludit omnes,
Omnes pectoris explicat recessus,
Dono dat mihi qui suum sigillum.

IN SVLPICIVM QVI LIBELLVM DE MORTE CORDI SVO DICAVIT: AD IOAN. ALLEMANNVM.

QVEM *de Morte mihi, Venuste noster,*
Misisti SVLPICII *tui Libellum,*

Totum sedulus, ALLEMANNE, *legi;*
De quo judicium meum hoc habeto,
Quando judicium meum requiris.
Doctis Grajugenûm (quis hoc negabit?)
Chartis cedere vix Sophûm videtur.
Lectis Hegesiæ disertioris,
Lectis suaviloqui & libris Platonis,
Projecere animas subinde multi:
Sic vitæ mala Suasor ille mortis,
Sic mortis bona Phædo differebat.
Si non incitat ad necem Legentes
Ille SVLPICII *tui Libellus;*
At certè nimios parit dolores.
Experto mihi crede, cui misello,
Totum sedulus vt statim revolvi,
Totis continuis novem diebus
Et ægre fuit & laboriosè.
Non credis mihi? crede SARRACENO,
Acri qui caput ictus est dolore
Lectis vix bene paginis duabus:
Prorsus vt miserum nihil juvaret
Somnus mollior, aut resecta vena.
Sed vide ingenium tui Sodalis:
Quem cuncti cor habere pernegabant,
Vt cunctis cor habere se probaret,
Cordi dat, dicat hunc suo Libellum.
Sed vide ingenium tui Sodalis:
Ne forsan miserè cacata charta
In sellis fieret Patroclianis
Tam bellus liber & laboriosus,
Sic illum in breve contrahit volumen,
Vt si chartâ adeò velit pusillâ
Emundare nates Cacator vllus,
Numquam non digitum inquinare possit.

Sed vide ingenium tui Sodalis:
Sic illum in breve contrahit volumen,
Vt nec pelamidem tegat vel vnam,
Et vix dimidium tegat botellum,
Non thus, non piper induat cucullo.
Quin & ne potis esset vstulari,
Si quando in rapidos veniret ignes.
Solertissimus omnium Poëta,
Longè præscius & cavens futuri,
Adspersit salibus, jocisque totum
Frigidis glacie magis Suëdâ,
Vel si frigidius potest quid esse.
O mirum ingenium tui Sodalis!

IN EVMDEM:
AD
IOAN. FRANC. SARACENVM.

SVLPICIVS, SARACENE, *suo de Morte Libellum*
Inscripsit cordi: nunc cor habere nega.

IN
GARGILIVM MACRONEM.
CATVLLI IMITATIO.
Gargilius Macro se ipsum alloquitur.

MISELLE *Macro, desinas ineptire,*
Et quod vides perisse perditum ducas.
Quondam adfuisti splendidis quidem cœnis,

Cùm ventitabas quò Vacerra ducebat,
Nobis amatus quantùm amabitur nullus.
Ibi illa multa cùm jocosa dicebas,
Quæ tu volebas, nec Vacerra nolebat;
Ibi sumtuosas cùm dapes ligurribas,
Cúmque hauriebas copiosius vinum,
Quondam adfuisti splendidis quidem cœnis.
Nunc jam ille non vult, & tu, inepte, jam nolis;
Nec qui fugat sectare, nec miser vive:
Sed obstinatâ mente perfer, obdura.
Vale, Vacerra, jam tuus viden' Vates,
Tuus, ô Vacerra, obdurat ecce Conviva.
Non te requiret, non adibit invitum:
At tu dolebis solus accubans mensæ.
Vacerra, væ te! quæ tibi manet vita?
Quem tu lacesses, quem joco remordebis,
Quidvis paratum perpeti & probra & plagas?
Cui nunc placebis? cui videberis doctus?
Acrostichon tibi quis, aut quis Emblema,
Inscriptionem, Distichonve donabit?
Quis Symbolum? quis nomen in tuum ludet?
At, Macro, nunc tu destinatus obdura.

IN
MACRINVM:
AD
IANVM LVD. BALZACIVM.

MACRINVS, *ille inane cymbalum Scholæ,*
Allusionum amator ille maximus,

Ille, ille Rhetor artifex Emblematum;
Cùm in Memmianis, IANE, *nuper ædibus*
Se ſcire cuncta jactitaret inſolens,
Meus FERAMVS, *ille quem noſti probè*
Homo & venuſtus & dicax & callidus,
Vnâ loquacem quæſtione perculit.
At quam putas fuiſſe ? non Lycophronis,
Non Æſchyli, non Perſii, non Pindari
Interpretari juſſit obſcurum locum:
Vocis vetuſtæ non referre originem:
Non juris ænigma impeditum ſolvere.
Ne, IANE *noſter, te morer diutiùs,*
Iuſſit parentis eloqui nomen ſui.

IN EVMDEM:
AD
PHILONEM.

O rem ridiculam, PHILO, *& jocoſam, &*
Dignam Democriti omnibus cachinnis!
Ride quidquid amas tuum Sodalem,
Prome quotquot habes domi cachinnos,
Res perridicula eſt, per & jocoſa,
Gravem ſolvere quæ poteſt Catonem,
Aut ſi quid gravius fuit Catone.
Ille Græculus, Eſuritor ille,
Scriptorum ſcabies famelicorum,
Ad natalicias dapes vocatus,
Quas erat Matho craſtinò daturus,
Lectum, fercula plura quò voraret,

Incœnatus adit. Labore corpus
Defessum sopor occupat repentè:
Verùm ardentia dum fame caninâ
Latrant viscera, dum crepantque dentes,
Roncho perstrepit & sonantiore,
Dum tot murmura, jam silente nocte;
Impellunt malè-dormientis aures,
En somno excutitur tumultuoso.
Mox Luna radios videns micantis,
Solis esse putat; timet morari;
Surgit protinus; arripit caballum,
Et tendit citus ad Mathonis ædes.

AD
CAROLVM FERAMVM
ADVOCATVM PARISIENSEM,
SVB NOMINE
PAPIRII CARPITANI
SCRIPTOREM
Macrini Parasitogrammatici
ΗΜΕΡΑΣ.

CONSVLTISSIME, *Carpitane, juris,*
Iucundissime, Carpitane, Vatum,
Pro tali tibi quas referre grates
Possum Carmine? quod referre munus?
Vnâ Grammatici Die *Macrini*
Plus multò, mihi crede, præstitisti,

Quàm totâ Hebdomadâ *Poëta Gallus,*
Ascræusque suis Senex Diebus.
O lux candida, candido lapillo
Summis sedulò Vatibus notanda!
Dies pulcrior omnibus diebus,
Doctis Pieridum inserenda fastis!
Consultissime, Carpitane, juris,
Iucundissime, Carpitane, Vatum
Hoc Vatem tibi crede nuntiasse,
Pulcram Cœnipetæ Diem *Macrini*
Certè nulla dies tacebit vmquam.

AD

IOAN. FR. SARRACENVM,

SVB NOMINE

ATTICI SECVNDI

SCRIPTOREM SOMNII,

quod *Bellum Parasiticum* inscripsit.

DISERTISSIME *quot fuere, quot sunt*
Lepôrum Arbiter & Facetiarum,
SECVNDE ATTICE, *nemini secunde,*
Attico prior & prior Secundo,
Me plus visceribus tuis, tuisque
Certè plus oculis amas amantem:
Nobis non modò serias Camœnas,
Sed versus quoque qui legis jocosos;
Nobis non modò cogitationes,
Sed & somnia qui lubens recludis.
O lusus lepidos & elegantes!

O

O & somnia bella & erudita!
Raptim scribere nec laboriosè,
O te talia qui potes beatum!
Cujus scilicet ipsa ceterorum
Vincunt ludicra serias Camœnas;
Doctas somnia cogitationes.

IN MORTEM CABALLI GARGILIANI PARODIA

AD PASSEREM CATVLLI.

LVGETE, ô SEGVERîque, MEMMII*que*,
Et quantum est hominum Elegantiorum:
Equus mortuus est mei Sodalis,
Equus divitiæ mei Sodalis,
Quem plus visceribus suis amabat:
Nam frugalis erat magis Cleanthe;
Nec toto decies edebat anno,
Contentus paleisque, carduisque.
Nam mansuetus erat: simulque norat
Herum tam bene, nosse quàm Philippi
Gnatum Bucephalon ferunt volucrem:
Nec dorso excutiebat insidentem;
Sed circumvolitans modò huc, modò illuc,
Quærentem in triviis vocationes
Tergo commodus arduo ferebat.
At nunc it per iter tenebricosum,
Illuc, unde negant Equos redire.
Sit vobis malè Pantices molesti,
Tam bellum mihi vos Equum abstulistis.

Lugete, ô SEGVERÎ*que,* MEMMII*que,*
Et quantum est hominum Elegantiorum:
Ille Gargilius meus Sodalis,
Ille Vernula, Morio ille vester,
Vester Græculus Esuritor ille,
Iam vobis nequit excitare risus;
Nec jam prandia adire vestra lætus,
Nec vestras potis est, vt antè, cœnas.
O factum malè! væ miser Caballe!
Tuâ nunc operâ meus Sodalis
Ah tristi domiprandio laborat!

AD

LECTOREM VITÆ GARGILII MAMVRRÆ PARASITI ET ADVLATORIS famosissimi.

RHETORIS *insulsi Vitam Lecture jocosam,*
Porrectâ nostros excipe fronte jocos.
Ludimus innocuis, ficto sub nomine, verbis:
Nullius & famam pagina nostra notat.
Quisquis adulatur, quisquis convivia captat,
Is mihi Mamurra est, is mihi Gargilius.

AD EVMDEM.

QVISQVIS *legerit hanc mei jocosam*
Vitam Gargilii, Poëta fiat,
Et de Cœnipeta mihi jocosos
Scribat Grammatico repentè versus.
Qui non scripserit, inter eruditos
Inconsultus obambulet Patronos.

IN
GARGILIVM
ANAGRAMMATISTAM
INDIGNATIO.

TVNE *ausus es meum* FERAMVM *lædere?*
Fæx Literarum, Literarum dedecus,
Pindi cloaca, sæculi eversi probrum,
Apollinaris Lixa, mundi cymbalum,
Inepte, vecors, Literator insolens:
Tu Pædagôge, tu Magister garrule,
Tun' ausus es meum FERAMVM *lædere?*
Iners Sophista, Circulator impudens,
Propago terræ, furcifer, tenebrio,
Ipse ausus es meum FERAMVM *lædere?*
Ipse esuritor, & vorax, & helluo,
Nidoris auceps, musca mensis incubans,
Parasite Scurra, Morio famelice:

Verboque ut uno cuncta dicam, GARGILI;
Nil addo, turpe quidquid est dixi semel.
Ergo ausus es meum FERAMVM *lædere?*
Non sic abibit. tu mihi pœnas dabis,
Hosti sed hostis quas fero victus daret.
Insulse, nescis quid furor possit meus.
Non sic Lycamben spretus infidum gener;
Nec sic lacessiit Heinsius Scioppium,
Vt te lacessam. ter trecentis versibus
Imaginem vitæ omnis exprimam tuæ,
Quos cùm videbis, si quid est sensus tibi,
Funesta vincla gutturi innectes tuo,
Qualia Lycambes faucibus vidit suis.
Tuumque dirus ad Gemonias trahet
Tortor cadaver; prandium & qui nemini
Vivus dedisti, mortuus tandem dabis
Corvo famelico & voraci vulturi.
Quin ista pœna non erunt finis tuæ:
Rigidi trahêris ad tribunal Æaci;
Auditus, & damnatus omnes perpetim
Lassabis vnus Inferûm pœnas miser;
Novas & in te excogitabit Æacus.
Modò delicatis accubans conviviis,
Egens vt ille Tantalus semper dapis,
Avidus ferêris in recedentes cibos:
Vel si quid avidas haud refugerit manus,
Ardente rapiant quæ vel è flamma cibum,
Turpis Celæno cum sororibus dapes
Odore cunctas non amico polluet.
Et nunc inanes monte devolues cados;
Nunc vina raro tristis in cribro bibes.
Et modò coaxans rana rauco murmure
Stygiæ paludis delitesces in luto.
Modò elatrabis ore Cerberus trifaux,

Tres nulla fauces offa leniet tamen;
Prandebis at canis caninum prandium,
Supplicium acerbum, maximum, dirum, grave,
Quodque ipse magno, proh nefas! Busbequio
Quondam minatus es caninum prandium.
Sed & ista pœna non erunt finis tua:
Aliam minatur Æacus sortem tibi:
Quando sedebis cogitans Anagrammata,
Non vlla juncta verba gignent literæ;
Nam cur meum ausus es FERAMVM *lædere?*

AD
IOAN. CAPELANVM
DE
IOANNE PAVLO GONDIO
CORINTHIORVM ARCHIEPISCOPO
ELEGEIDION.

ILLE *ego qui fugiens Magnatum limina, magno*
Parthorum vixi Principe liberior:
Nunc mihi servitium video, Dominumque ferendum;
Et me libertas deserit illa prior.
Servitium sed dulce mihi, CAPELANE, *paratur,*
Quo neque libertas dulcior ipsa fuit.
Sed datur ante alios Dominus dulcissimus omnes,
Quo neque vel Socius dulcior esse potest.
Mille mihi patriis errant in collibus agnæ;
Mille mihi findunt arva paterna boves.

Quòd si paupertas miserum me sæva domaret,
Contemptus possem non ego ferre Iovis.
Sit Crœsus, non invideo, fastidia læto
Qui Procerum vultu ferre superba potest.
Non est GONDIADÆ *nativa superbia, non est*
Principibus fastus qui solet esse viris.
Ludere qua volumus versu permittit agresti,
Qui nostros aliquid credidit esse jocos.
Integra libertas superest: quid enim imperat? aut quid
Non mihi vel totas annuit ante preces?
O mihi servitium jucundum! ô vincula grata!
Vincula non ullo dissolüenda die.
GONDIADES *& habet nostros & habebit amores:*
Lydia tu longùm, tuque Neæra, vale.
Ejus ero dum fata sinent, dum vita manebit,
Pallida cùm mihi mors venerit, ejus ero.
Tam validis vinctum me detinet ille catenis,
Vt non, si libeat, dissolüisse queam:
Me quoque tam gratâ religatum compede nectit,
Vt non, si liceat, dissolüisse velim.

AD
IANVM LVD. BALZACIVM
ODE.

ILLE, BALZACI, *nimiùm beatus:*
Ille, sed longè, superat beatos,
Qui tibi doctas vacuus loquenti
Commodat aures,

Nectaris rivos, laticesque mellis
Aureo fundis quoties ab ore;
Densa verborum quoties coruscus
Fulmina torques.

Tot viris olim gravidâ disertis
Græciâ dicam licèt audiente,
Nemo facundâ magis arte fandi
Claruit vmquam.

Voce tranquillas agitare plebes,
Et potes sævas cohibere turbas,
Quò velis mentes hominum rebelles
Flectere doctus.

Gallicæ Pithûs Pater atque Princeps,
Hercules alter, potis es catenis
Aureis vinctos malè pertinaces
Ducere Gallos.

Sed quid, ô Suadæ decus & medulla,
Quid tuas audax nimis ac protervus
Versibus tento minùs eruditis
Dicere laudes?

Haud queam ad tantos satis esse cantus:
Non mihi centum licèt ore linguæ,
Non mihi afflaret licèt ipse sacrum
Carmen Apollo.

Est CAPELLANVS *tibi, qui tuorum,*
IANE, *sermonum poterit lepôres,*
Ingenî & cunctas celebrare digno
Carmine dotes.

Pallidus totam bibit Hippocrenen,
Carpsit & lauros Heliconis omnes;
Omnibus Pindi spoliavit omnes
Floribus hortos.

Ceteros Vates amat inter, vnum
Et fovet Vatum Pater ipse Phœbus;
Diligunt Musæ, Charites, Minerva,
Mercuriusque.

IANE, *te dignos facit ille versus:*
Alter haud magno propior Maroni,
Maximo Vatum propiorque non est
Alter Homero.

EPICEDION
NICOLAI BORBONII
EXIMII POETÆ,
ET
REGII LITERARVM GRÆCARVM Professoris.

ERGO *jacet laus prima sui* BORBONIVS *avi,*
Et Pater Eloquii, Pieridumque decus.
Funde tuo lacrimas, Regina Lutecia, Civi,
Non alio dudum funere mœsta magis.
Et tu docta tuum plora, mea Gallia, Vatem;
Tu quoque vix alio funere mœsta magis.

Et vos, ô Vates, vestrum lugete Parentem,
Ductorem Aonii, deliciasque chori.
Vos quoque magniloquum, Heroës, vos flete Poëtam,
Qui cecinit forti prœlia vestra pede.
Ipse sed ante alios illum mœstissimus omnes
Flebo; nec assiduis finis erit lacrimis.
Et meritò: quis enim, quis nos magis alter amavit?
Quisve fuit nobis alter amabilior?
Ah memini! ille meæ Dux & tutela juventæ,
Me facili Aonidum duxit ad antra manu.
O nimiùm dilecte Senex! ô maxime Vatum!
Ergo, mihi numquam conspiciendus, abis!
Hei mihi! te numquam adspiciam, doctissime Vatum;
Nec dabitur raptâ vivere parte mei.
Te sine, BORBONI, posthac quæ gaudia nobis?
Omnia tecum unà nostra sepulta jacent.
Omnia fracta jacent Musarum gaudia tecum:
Scribendi studium carminis omne perit.
Hei mihi! te numquam adspiciam: sed gratus amicos
Perpetuâ Manes relligione colam.
Dî facerent, illos numeris extollere possem,
Queis cecinit Naso, culte Tibulle, tuos!
Ast ego tam sævo nunc pectora saucius ictu,
Mente jacens & iners quid nisi flere queam?
Quid nisi perpetuos tristi de pectore possim
Exsequiis gemitus persolüisse tuis?
Vos sancti Manes, nostri vos Numina luctus,
Hos, quæso, gemitus accipite & lacrimas.
Ingenii quodcumque fuit dolor abstulit amens;
Si tamen in nobis quid fuit ingenii.
Vos animæ illustres, Phœbi Latialis alumni,
Et vos, quos gremio Grajus Apollo fovet:
Vos animæ illustres, Academica turma potentis
ARMANDI, *exstinctum carmine flere decet:*

Carmine, quo Daphnin divinus flesse Menalcas;
Quo Siculus fertur flesse Biona Senex.
At nolim in turba te, CAPELLANE, *silere,*
Prœlia qui plectro grande sonante canis.
Nec verò te etiam fas sit tacuisse, GVIETE:
Ingenio felix, arte, GVIETE, *potens.*
Nos humiles animæ latices libemus & illi:
Fundamus mœstâ lacque, merúmque manu.
Ipse vnguenta dabo, calathis dabo lilia plenis,
Spargam & humum foliis, alloquar & cineres:
Et tumulum faciam, tumuloque hæc carmina ponam;
Fletibus æternùm carmina sparsa meis:
Conditur hîc parvâ magnus BORBONIVS vrnâ,
Interpres Graji Regius eloquii.

IN
PELASGVM
REGEM.

OMNES *Pelasgas Rex Pelasgus feminas*
Subigit, & implet liberis provincias.
An non vocari dignus est Patriæ Parens?

IN
SILVIVM
AD
SARACENVM.

CVR *me Silvius oderit, requiris.*
Calvus ſum, SARACENE, *amat Comatos.*

IN
SEXTVM.

HVGONIS *arces, aggere inclytas forti,*
Operâ Philippum nunc tuâ recepiſſe,
Meritò (fatemur) gloriaris, ô Sexte:
Ni perdidiſſes, ille non recepiſſet.

FABIANI
HOMINIS LEVISSIMI
EPITAPHIVM.

MORTVVS *hoc tandem tumulo,* FABIANE, *quieſcis:*
Ingenio levior ſit tibi terra tuo.

IRENICON.

VINCIMVS *vt caussâ, sic bello vicimus hostem;*
Armáque successus justa fuisse probant.
Hesperios fortesque animis, & fallere doctos,
Destituit virtus, destituêre doli.
Vicimus. Hispanis albescunt ossibus agri,
Sanguine & Austriaco flumina tincta rubent.
Quæ totum Gens vana sibi promiserat orbem,
Exsulat imperii finibus ecce sui.
Austriacis latè Dominis, sic Fata tulere,
Nunc superest vasti portio quanta soli!
Septima messis abît, ex quo Catalania fortis
Eripuit famulo subdita colla jugo.
Septima venit hiems, ex quo BRAGANTIVS *Heros*
Regna per indomitos missa recepit avos.
Regius hinc sanguis Gravenengæ mœnia GASTO
Diruta submisit legibus, ANNA, *tuis.*
Inde paludosæ Batavûm gens accola ripæ
Retibus & Belgas implicuere suis.
Territat Hispanos validis HARCVRIVS *armis,*
Et fractos terrâ persequiturque mari.
Aurifer ecce Tagus subitâ formidine pallet,
Et sua plus solito flumina condit Anas.
Adspice, CONDÆVS *Germanas concutit arces,*
Inque tuo posuit, Norice, castra solo.
Et pedibus vestrum, Insubres, calcavimus anguem,
Parthenopæ quantus Sicaniæque pavor!
Prœlia non hæc sunt vestro sine facta labore
FORCIADE *clari* CASTILIO*que Duces.*

Nec sine te Celtis bello tot parta tropaa,
MONTOSIDE, Franca gloria militia:
Addua testis erit, Tribocique, & flumina Rheni;
Sed meliùs nobis tu tua bella canes.
Vt Mavors, te Phœbus amat, Phœbique Sorores:
Et geminâ lauro tempora cincta geris.
Te quoque Teutonici formosum pulvere belli,
Inclyte TVRENI, prateriisse nefas.
Ipse sed ante alios, nostri metuenda Tonantis
Fulmina qui vibras, hîc memorandus ades.
Magnanimi Heroës, numeris, pia turba, Poëta
Æterna aternis prœlia vestra canent:
At vos felices, pulcram per vulnera mortem
Contigit hostili queis obiisse manu.
Muneris hoc vestri est, pacem quòd poscit Iberus:
Hoc cruor invicto pectore fusus agit.
En fastu Gens illa tumens, Gens illa superba
Supplicat. En cecidit spiritus ille ferox.
Iam petit invisa quondam sibi fœdera pacis,
Celtis ausa prior bella movere meis.
Parcere subjectis gaudet mens alta Deorum:
Flectuntur molli fortia corda prece.
Tu quoque demissi precibus, tu cede PHILIPPI,
O Patria, ô sacri Principis, ANNA, Parens.
Pacem poscit Iber: nec pacem Gallia nolit.
Victori & Victo mitior, ANNA, fave.
Matribus & Natos & Sponsos redde Puellis:
Fluminibus merces, semina redde solo.
Ah! nimis ille ferox, pacem cùm possit habere,
Prœlia qui malit & fera bella sequi.
Pace Artes & Iura vigent, doctaque Sorores,
Et Chorea & Cantus & bene comptus Amor.
Pace Ceres, Bacchusque vigent, Pomona, Palesque:
Pace viget pleno Copia larga sinu.

At si bella fremant, viduatæ civibus Vrbes,
Et squalent Clariæ, numina nostra, Deæ.
Latè inculta jacent palantibus arva Colonis:
Nullus honos Themidi, gloria nulla togæ.
Hinc latrocinia & cædes, incendia, raptus,
Diráque paupertas, & malesuada fames.
Hesperium an tanti regno spoliasse PHILIPPVM
Dicite, Bellonæ quos ferus ardor agit?
Quòd si tantus amor Martis, si tanta cupido est,
Hinc procul in sævos spicula ferte Scythas.
Excutiant veteres Solymæ sacra templa catenas;
Nec durum subeat Creta subacta jugum.
Eventura vident Vates. mihi magnus Apollo
Eventura procul dicere posse dedit.
Vera cano. Thracum fundes, CONDÆE, *catervas.*
CONDÆVM *manet hæc gloria certa Ducem.*
Pallida Bistoniæ decrescent cornua Lunæ,
Sideris vt tanti viderit illa facem.
Iam Tuba bellatrix ad pugnam accendit euntes:
Iam tibi prædico, Thrax violente, fugam.
Læta super Francas volitat Victoria turmas,
Vndique fulgenti conspicienda togâ.
Dextra tenet frondes oleæ, tenet altera palmæ;
Virgineum cingunt laurea serta caput.
Fulmine cùm trifido strati jacuere Gigantes,
Victorem talis constitit ante Iovem.
Debita jam referens Nabathæas præmia palmas,
Threïcio, LVDOVIX, *victor ab hoste redis.*
Hæc alii heroo cantabunt carmine bella,
Et doctâ scribent prœlia tanta manu.
Ipse tibi reduci manibus, GERMANICE, *plaudam;*
Magna & ïo, ter ïo voce triumphe *canam.*
Interea Pax alma veni: Pax aurea cælo
Huc ades, invicti filia pulcra Iovis.

Exspectata veni. veniet, mea Gallia gaude.
ANNA Parens votis annuit ecce tuis.
Missi Oratores, Populos qui fœdere jungant,
MEMMIVS hoc spondent SERVIADESque tibi.
SERVIADES solers, & docti MEMMIVS oris,
Facundæ eximium lumen vterque togæ.
Magnanime AVRELI, Regum Dunesia proles,
Non facit ad laudes Tibia nostra tuas.
Est tibi Castaliæ CAPELANVS gloria turbæ,
Curáque, cui docto grandis in ore sonus.
Carmine siderei carmen superante Maronis
Pallados ille canet mitia dona tuæ:
Iunxeris Europæ varias vt fœdere gentes,
Mercurio melior tollere dissidia.
Et tua Mœonio celebrabit prœlia cantu,
Herculeæ cuperent quæ meruisse manus.
Lentus Arar, Mœnusque piger, Rhenusque bicornis
Testis, arenosi litus & Eridani.
Ergo veni, Pax læta, meis, Pax candida, Gallis:
Et Cerere & Baccho sed comitata veni.
Te cupit ANNA Parens. Venies. gaudete Coloni,
Horrea deficient, deficientque cadi.
Alma Iovis soboles quoquò vestigia vertet,
Vváque nascetur, sub pedibusque seges.
Aurea Francigenis Saturni sæcla redibunt:
Purpura nascentis vellera tinget ovis.
Mella dabunt quercus, manabunt flumina lacte,
Omnia Ruricolis & feret omnis ager.
Bellica Pastoris non rumpent classica somnos:
Securus saturas dormiet inter oves.
In curvam rigidus falcem conflabitur ensis:
E fuscâ nitidus casside vomis erit.
Non acies, non hostis erit. gaudete Puellæ,
Dulcia miscebit prœlia solus Amor.

Martia deficient, Amathusia bella calebunt;
Ipse quibus victor succubuisse volet.
Hunc formosa, precor, roseis Aurora quadrigis
Omnibus optatum, sed citò, redde diem.

BALZACIO MITTIT IRENICON MENAGIUS.

SIREN *Gallica temporum tuorum,*
Cujus purpureo fluens ab ore
Dulci nectare dulcior loquela
Non ipsi Superûm invidet loquelæ,
BALZACI, *Pater Elegantiarum,*
Versus accipe non laboriosos,
Nec comptos nimiùm, nec eruditos;
Sed queis Menagius tuus Sodalis
Reginæ canit optimæ triumphos,
Et pacem Patriæ pius precatur:
Ut si Menagium tuum Sodalem
Dicant Grammatici malum Poëtam,
Civem nemo bonum negare possit.

AD
IOANNEM FRANCISCVM SARACENVM
EPISTOLA.

VRBIS *amatorem* SARACENVM *ruris amator*
Menagius salvere jubet: quam diligis Vrbem
Ipse colas, nobis placeant super omnia Silvæ.
Si colimus Silvas, coluerunt Numina; & illas
Nunc colit Aonidum decus immortale Sororum
BALZACVS, *extremos famâ celebratus ad Indos.*
Non absunt his sancta Fides; Pietasque, Pudorque;
Innocui mores, Vrbique incognita vestræ
Simplicitas, Virtutis amor, Rectique cupido.
Si quæris quid agam, Laërtî scripta revolvens;
Grajugenûm sectas omnes expendo Sophorum,
Addictus nulli. Nunc dîa effata Platonis,
Nunc & Aristotelis victricia dogmata laudo.
Iam Cynici, jam Pythagoræ mihi dicta probantur.
Mox & Aristippus placet, & mox Stoïca turba,
Et Pyrrho in medio qui semper fluctuat æstu:
Et modò me retinet placidis Gargettius hortis,
Fragrantis sic mellis apes cælestia dona
Floribus è variis picti populantur Hymetti.
Ast ubi defesso permittunt otia Musæ,
Nunc juvat in densas solum me condere silvas;
Nunc juvat ad fontes fusum deponere corpus;
Nunc placet & frutices scalpro purgare novellos;
Et teneros læto flores nunc imbre rigare.

Mox placet aut lepores aut cursu frangere damas;
Aut piscem tremulo salientem ducere lino,
Subdoláve incautis prætendere retia turdis.
Quin etiam quandoque pedum Pastoris Amyntæ
Delectat sumpsisse manu, quod Præsulis aureo
Commutare pedo nolim, pia Numina testor:
Nec pudet in colles hirtas egisse capellas.
Quis, rogo, quas vel habet tristes Venus improba curas,
Dira vel ambitio, non vltro ponat amœni
Has inter tot delicias & commoda ruris?
Experior: nullæ hîc turbant mea gaudia curæ:
Inficiunt hîc nulla meos mihi nubila soles.
Hîc mihi muta quies; hîc alta silentia regnant,
Rumpere quæ soleat gracilis nil præter Avenæ
Pastorum agrestes modulos, aviumque canoras
Nil præter voces, & murmur amabile lymphæ.
Scilicet vnius flagrans Virtutis amore,
Fortunæque vices ridens & lubrica rerum,
Non hîc dura pati Procerum fastidia cogor:
Non hîc dura pati sæva fastidia cogor
Parthenia, atque graves immitis Chloridos iras.
Livor abest, & abest famæ irrequieta cupido.
Non me falsus honos, studium non vrit habendi:
Non torquent miserum vestri, mala gaudia, luxus;
Excepto quòd non vnà sumus, omnia lætum.
Si nos ergo voles ex omni parte beatos,
Huc, quæso, dilecte veni. quam diligis Vrbem
Iam nolim, SARACENE, *colas. mea dicta retracto,*
Et piget, ah! dixisse piget. quam diligis Vrbem
Linque, precor, magnoque tui qui flagrat amore
Menagium, veterem festinus vise Sodalem.
Non, ô dulce caput; non, ô suavissime Vatum,
Ignotus venies. SARACENI *nomen & ipsi*
GONDIACI *norunt colles, & flumina norunt:*

Nam mihi dilectum, cunctis & amabile nomen
Ipsos GONDIACÆ *colles & flumina villæ*
Edocui, blandis dum te, te, dulcis amice,
Longiùs absentem compello vocibus absens.
O! valeant Vrbes æternùm, tu modò semper
Rura colas, liceatque tuos mihi cernere vultus.
Hei mihi! vos, Vrbes, nostros sed habetis amores:
Sed mea, Parisii, SARACENVM *gaudia habetis;*
Delicias nostras SARACENVM, *quo sine nobis*
Tranquillis non esse licet, non esse beatis,
Et placeat non ipse Iocus, non ipsa Voluptas.
Quo sine, nam memini, populosa Lutecia sæpe
Visa mihi Libyâ penitus desertior ipsâ,
Secretis qui turba fuit mihi plurima silvis.
Si qua tui, SARACENE, *tenet te cura Sodalis,*
Huc igitur dilecte veni; te Lydia quamvis
Candida circumdans optato brachia collo,
Lydia Sequanicas inter pulcerrima Nymphas,
Omnibus illecebris & amans & amata moretur.
Par quoque te quamvis PVTEANI *nobile Fratres,*
Ac PVTEANORVM, *cultissima turba, Sodales*
Et salibus doctis, docto & sermone morentur.
Ergo veni, tecumque feras Veneresque, Iocosque.
Ergo veni, tecumque feras Citharamque, Tubamque,
Et, quibus innuptæ cantabas Phyllidos ignes,
Argutos calamos, Siculi queis Fistula Vatis,
Et tenera Andini cedat Pastoris Avena.
Molles adde Elegos, felices adde Phaleucos,
Quosque truces quondam vibrasti sævus Iambos.
Mentiar, vt venias: aderit, quem suspicis vnum,
GONDIADES, *columen rerum & tutela mearum,*
Francigenûm sublime decus, spes magna Senatus
Purpurei, nostri rarissima gloria sæcli.
Sed si, quod nolim, quod non puto, carmina ab Vrbe

Haud te nostra valent ad nos deducere, rura
Tunc ego devoveam; tunc vos concedite fontes;
Tunc valeant colles, vos litora grata valete,
Vos nemora & saltus, ipsi veniemus in Vrbem.
At crepuere fores, latrantque in corte molossi.
Auditis? an ludit amabilis error Amantes?

AD

LVDOVICVM BORBONIVM PRINCIPEM CONDÆVM.

EXCIPE, *sed facilis, Regum*, LODOICE, *propago,*
Quas tibi fert supplex nostra Thalia preces.
Non ego divitias avidus, non munera posco:
Non quæ tam cupidè cetera vulgus amat.
Ille tuus Vates, nostri SARACENVS *amores,*
Cujus Amor versus, & Venus ipsa canit,
Heu! solitam abjecit juratus Apollinis artem,
Fregit & iratâ plectra canora manu.
Ah quoties, & quæ mittebat carmina nobis,
Per lusum reddens mutua perque jocum!
Nunc canimus surdo, scopulis nunc durior ipsis
Respondet Socio nil, LODOICE, *suo.*
Si potui placuisse tibi, jurantia verba,
Namque potes, solitum pondus habere veta.
Divini celeres Vatis perjuria ventos
Per mare, per terras irrita ferre jube.
Sic bonus è cælo perjuria ridet Amantum
Iuppiter, & levibus dat rapienda Notis.
Mollibus ille tuos numeris celebrabit amores:
Ipse tener tenero carmine gaudet Amor.

Læta celebrabit læto convivia versu;
Cantabit forti fortia facta pede.
Mille habet ornatus, mille vnus possidet artes;
Mille tibi condet carmina mille modis.
Tot pugnas celebrare tuas qui carmine possit,
Ille tamen, fateor, non satis vnus erit.
Tam vastum haud vnus scribendi navigat æquor,
Et Vatum poscunt tot tua bella Chorum.
Versibus æternis alius memorabit Iberos,
Quos latis RVPES REGIA *condit agris.*
Hic canet excelsô Germanica prœlia versu,
Prœlia, quæ Martis dextra dedisse velit.
Viderat hæc Rhenus, pavidus sua flumina sistit,
Quò cursus ageret nescius ipse suos.
Audiit hæc Ister, subitâ formidine pallens,
Plus solito celeres in mare volvit aquas.
LENSIACOS *alius stagnantes sanguine campos*
Dicet, & in nostro parta tropæa metu.
Disjectas alius turres cantare THEONIS,
Mœniáque audebit capta, PHILIPPE, *tua.*
Non te prædatrix domitam, DVNKERKA, *silebunt;*
Te quoque, te victam, nobilis IPRA, *canent:*
Totque alias validis euersas viribus arces,
Quà Scaldis rapido turgidus amne ruit.
Non captos & erit muros qui dicat ILERDÆ:
Virtus est magni cedere magna Ducis.
Carmina docta, Duces, doctas & amate Camœnas:
Carminibus longùm Martia bella vigent.
Tu verò ante alios Phœbi, LODOICE, *Sorores*
Dilige, qui Phœbi carmine digna geris.
Respicit heu! nemo tristes hoc tempore Musas:
Desertæque, inopes, & sine honore jacent.
Ah! quoties Procerum frigere ad limina Vates
Vidimus, Aonii pignora cara Dei.

Ah! quoties mœstos, dum tristia fata queruntur,
Vox quoque defecit Principis ante fores.
Ille cothurnatis pedibus qui regia calcat
Pulpita, qui longo syrmate verrit humum,
Palliolo tectus, laceris, proh turpe! lutosa
Compita per soleis itque reditque viam.
Docta coronato cui tot plausere Theatra,
Adspicis, hunc nostri sibilat aula Iovis.
Qui dedit Heroas mensis accumbere Divûm,
Qui Divûm in solio posse sedere dedit,
Vescitur, ô mores! siliquis & pane secundo,
Et canit in parvâ grandia facta casâ.
Magne tibi canimus priscam, LODOICE, *querelam:*
Scriptorum vetus est esuriisse Chorum.
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven,
STATIVS, *ingenio nec minùs arte potens.*
Non habet, vnde Lares repetat, quem jactat alumnum
Bilbilis, arguti Rex Epigrammatii.
Pauper amat teneri NASO *Præceptor Amoris.*
TITYRVS *ablatos mœret egenus agros.*
Quem Romana vocat Charitum Comœdia Patrem,
Pistrini PLAVTVS *mobile versat onus.*
Tu quoque, qui Plautum superas, servire, TERENTI,
Cogeris, & doctis inclyte, PHÆDRE, *jocis.*
Qui Laërtiadæ famam, qui donat Achilli,
Per plateasque cibos, ostia perque petit.
Proh pudor! & pecudes pavit formosus Apollo:
Ille Pater Vatum, Filius ille Iovis.
Tu verò ante alios Phœbi mihi dilige Vates,
Proxima qui Phœbi versibus ipse facis:
Et te ne pudeat, Belli cui summa potestas,
Carmina, quâ vincis, scribere docta manu.
Mitescit placido violentus Apolline Mavors:
Esse feros prohibet Calliopea Duces.

Pallados & vestræ servat tutela Poëtas,
Et velat nostras laurea vestra comas.
At procul indoctos, Magnatum incommoda, Vates
Pelle; bonis misti Vatibus ire solent.
Garrulus argutos inter sedet anser olores:
Mellificas volitat fucus & inter apes.
Sed priùs ah! nostrum, qui Musica castra reliquit,
Erronem, quæso, sub sua signa voca.
Quas colit hoc multis mecum, quas ipse colebas,
IVLIA *te votis,* ARTENICE*que rogant;*
ARTENICE *Hectoreas inter celeberrima matres,*
Hectoreas inter IVLIA *prima nurus.*
Omnia queis vltro Superi tribuêre faventes,
Hoccine supplicibus non tribuisse potes?
Hoc quoque te Superi poscunt: hoc poscit Apollo:
Te Puer hoc Veneris, te Venus ipsa rogat.

IN NOBILISSIMVM PAR FRATRVM PETRVM ET IACOBVM PVTEANOS.

TVRGIDA *qui pelago dubius dat vela patenti,*
Mitia Tyndaridas sidera poscit opem.
Mitia poscat opem PVTEANOS *sidera Fratres,*
Scribendi vastum qui vagus æquor arat.

SVBSCRIPTVM IMAGINI FRANCISCI MENARDI TOLOSATIS, EPIGRAMMATARII PRÆSTANTISSIMI.

HIc *est Castalidum decus Sororum,*
Pindi gloria Gallici MENARDVS;
Qui doctis Epigrammaton libellis
Cogit cedere Bilbilim Tolosæ.

DE VENERE COA APELLIS COI.

NON *Venerem Cous Coam perfecit Apelles.*
Si perfecisset, fecerat ille minùs.

SAMVELI BOCHARDO
ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ
Pro eximio ejus de Geographia Sacra, quo me donavit, opere.

O dignum cedro & victurum in sæcula librum!
O Superis dignum, quod mihi mittis, opus!
Ditior in nostris non surgit pagina terris,
Non ipsa Heroïs pagina SALMASII:
Namque habet & vocum veneres, & pondera rerum,
Et, quas Palladius sustinet orbis, opes.
Quærebas, quis erat vacuæ vetus incola terræ,
Quas habuit soboles, quas habuitque domos.
Nuntiat hoc Populis, volitat quæ Fama per orbem:
Nec mora, gestit avos noscere quisque suos.
Gestit, & vt cuncti promisso munere gaudent,
Gratum opus exornant munere quisque suo.
Non tibi divitias Batavus, non Teuto negavit;
Non Geta; non, Gallo sit licèt hostis, Iber.
Huc fluit & Latiæ felix opulentia linguæ,
Musarumque parens Græcia tota fluit.
Contulit & gazas, Nili qui flumina potat:
Contulit Eoïs proximus Indus equis.
Thesauros & Arabs & reclusere Sabæi,
Et Chaldæus opes, & dedit Assyrius.
At dedit ante alios Byrsæ pugnacis alumnus,
Excoluitque librum, docte BOCHARDE, *tuum.*
Quas tibi, quas referam tali pro munere grates?
Credo equidem, dignas nemo referre queat.

Sed quas non alius, quas non ego ſolvere poſſum,
Ne dubita, ſolvent poſtera ſæcla tibi.

SVBSCRIBENDVM IMAGINI VINCENTIS VETTVRII POETÆ ELEGANTISSIMI.

HIC *eſt* VETTVRIVS, *diſertus ille*
Nugarum Pater & Facetiarum:
Sed qua ſeria quot fuere Vatum,
Et curas ſuperans laborioſas.

EIVSDEM TVMVLVS.

ETRVSCÆ *Charites, Camœnæ Iberæ,*
Hermes Gallicus, & Latina Siren,
Riſus, Deliciæ, Dicacitates,
Luſus, Ingenium, Ioci, Lepôres,
Et quidquid fuit Elegantiarum,
Quo VECTVRIVS *hoc jacent ſepulcro.*

AD

MOSANTVM BRIOSIVM SENATOREM METTENSEM,

De elegantissimo ejus in Gallum Gallinaceum Carmine.

Ex quo docte tuus, Mosante, Gallus,
Docti Passere doctior Catulli,
Vates cantibus excitans sonoris,
Facundæ volitat per ora turbæ,
Odit fulminis alitem ministrum,
Dextrâ fulmina qui corusca torquet:
Odit magnanimi Tonantis Vxor
Pavos: Attica noctuas Virago:
Cycnos Arcitenens: Cypris columbas,
Et Gallum sibi quisque concupiscunt.

SVBSCRIPTVM IMAGINI PAVLI SCARONIS SPASTICI, ET POETÆ FACETISSIMI.

ILLE ego sum Vates, rabido data præda dolori,
Qui supero Sanos lusibus atque jocis.
Zenonis soboles vultu mala ferre sereno,
Et potuit Cynici libera turba Sophi.
Qui medios inter posset lusisse dolores,
Me præter, toto nullus in orbe fuit.

AD IACOBVM CARPENTARIVM MARINIVM.

IVCVNDISSIME quot fuere, vel sunt,
Ludorum Pater & Facetiarum,
Æternum patriæ decus, MARINI,
Quid rerum geris? aurea an Petrarchæ
Docti Carmina doctus æmularis?
An ludis numeris Malherbianis,
Aut ludis numeris Marotianis?

Nam te ludere, quæ facit Venustos,
Donavit vario Thalia versu.
Quæ te blandula detinet Calypso?
Quæ provincia, quis locus moratur?
Possis linquere tu tuum Sodalem,
Qui te deperit impotenti amore?
Possis linquere tu tuum Sodalem,
Quem tu plus oculis tuis amabas;
Ad quem visere sæpius solebas,
Cujus versiculos, levesque lusus,
Nec sanè lepidos nec elegantes,
Dicebas lepidos & elegantes?
O lucem mihi ter quater beatam!
Cùm te scilicet audiam Italorum
Narrantem lepidè dicacitates;
Narrantem lepidè procacitates:
Cùm te scilicet audiam Getarum
Mores, oppida, facta, nationes,
Et, quæ magnanimo Parente major
Fortes imperio Getas coërcet,
CHRISTINÆ *altiloquo ore personantem*
Mille corporis ingenîque dotes.
O lucem mihi ter quater beatam!
Ambobus caput implicans lacertis,
Iucundissima cùm mei MARINÎ,
Et doctissima saviabor ora.
Si nos ergo voles nimis beatos,
Quamvis oscula te Puellularum,
Et preces revocent Potentiorum,
Ad nos, quæso, veni; ferasque tecum
Versus, quotquot habes domi, jocosos;
Versus, quotquot habes domi, disertos.
Verùm si venies, statim venito:

Exspectando suos Amans Amores,
Horâ, scis puto, nam senescit vnâ.

IN IMAGINEM CHRISTINÆ SVEDORVM REGINÆ,

A ROBERTO NANTOLIO Chalcographo singulari arte expressam.

HÆc *est illa novum sidus quæ surgit ab Arcto,*
Quæ regit imperio fortia corda Getas:
Progenies magno major CHRISTINA *parente,*
Sit licèt Emathio non minor ille Duce.
Ille licèt centum Populos, atque Oppida centum
Fregerit, vt rupes conterit ira Iovis.
Ille licèt forti dederit fera prœlia dextrâ,
Inclyta quæ Martis dextra dedisse velit.
Rettulit & victrix centum CHRISTINA *tropæa,*
Palladiæ cupiant quæ retulisse manus.
Et victrix centum Populos, atque Oppida centum
Contudit, vt rupes fulmina missa terunt.
Sed, quod blanda minùs Patri Fortuna negavit,
Filia Pegasidum mitia regna tenet:
Regna, nec Oceano, nec Flumine clausa, nec altis
Montibus. Ingenium quà patet, illa patent.
Nam quas non agitat curis felicibus artes?
An Virgo in terris doctior vlla fuit?

Non quæ sublimis liquidâ dulcedine cantus
Pindaricos potuit vel superare sonos.
Lesbia non Vates, quæ, Musis addita Musa,
Extulit Æoliæ plectra canora Lyræ.
Non tua, SALMASI, *cultis notissima chartis,*
SCHVRMANNIS, *Batavi gloria prima soli.*
Nec tu, noster amor, facundo cujus ab ore
Sermo fluit dulci dulcior ambrosiâ,
Sequanidum sublime decus, formosa LYCORI,
Quæ mœstos nobis non finis ire dies.
Sidereos ortus, Lunæ CHRISTINA *labores,*
Et Solis certâ comperit arte vias.
Tale facit Carmen, Doctarum quale Sororum
Ad vada Permessi concinit ipse Chorus.
Hanc sibi Phœbus Iber, hanc Gallicus asserit Hermes:
Nec minùs esse suam Tusca Camœna velit.
Præcipuo sibi jure petit Latialis Apollo:
Iure sed & repetit Musa Pelasga suo.
Et Citharæ querulas impellere pollice chordas,
Et valet argutam tangere docta Chelyn.
Si cantat, teneram credas cantare Thaliam,
Mulcere iratum dum studet illa Iovem.
Si Populis dat jura suis, Oracula Divam
Ore putes sancto fundere sancta Themin.
Quidquid agit, blandæ Veneres comitantur agentem,
Et Charites, blandus subsequiturque Lepos:
Seu variis, Nymphas inter, spatiatur in Hortis:
Seu sedet aurato conspicienda Toro:
Seu vaga velocis sequitur vestigia Cervi:
Seu movet ad certos brachia lenta modos.
Divi vera loquar, ignoscite vera loquenti,
Par Dea sidereas non habet ulla domos.

DE

AMICORVM ET PROPINQVORVM levi & inani fiduciâ

FABVLA ÆSOPIA,

AD

LVDOVICVM NVBLÆVM

ADVOCATVM PARISIENSEM.

NVBLÆE, *delibate flos facundiæ,*
Themidis Sacerdos, cultor integer Boni,
Quem non probare, non amare non potest,
Quicumque novit: ô meum magnum decus;
Nam quòd per orbem Literatus audio,
(Si modò per orbem Literatus audio)
Tuum est, labore qui tuo juvas meum;
Vindemiales quando nunc sunt feriæ;
Curisque liber à forensibus vacas;
Audi facetam, sed salubrem fabulam,
Quam Phrygius olim Fabulator finxerat,
Ipse expolivi versibus senariis.
Avicula quædam parva, Cassitam vocant,
Quæ nidulari suevit in sementibus,
Frumenta virides antequam mutent comas,
Serior in illis fortè nidum fecerat,
Et involucres tunc erant Pulli, seges
Vbique campis flava cùm canesceret.
Lectura Mater pabulum Natos monet,
Vt si quid illic cernerent rei novæ,

Id

Id diligenter & notarent; & sibi
Renuntiarent, cùm rediſſet, præcipit.
Dominus ſatorum Filium vocans, ait:
Maturuiſſe non vides hæc, & manus
Iam poſtulare? craſtinâ vt primùm die
Diluculabit, fac Amicos quærites,
Rogeſque veniant, mutuaſque præbeant
Nobis opellas, hancque meſſuram juvent.
Hæc vt locutus, abiit, & rediit ſtatim
Caſsita. Pulli trepiduli circumſtrepunt,
Orantque Matrem properet, atque protinus
In tutiorem transferat ſeſe locum.
Mater, perimus, territa exclamat cohors:
Monuit Amicos Dominus, adſint vt ſibi;
Frugeſque ſecum ſole venturo metant.
Hoc eſſe Mater liberos jubet metu:
Namque ſi ad Amicos ille meſſem rejicit;
Frumenta luce non metentur craſtinâ;
Nec eſt neceſſe vos, ait, nunc auferam.
Aurora lucet: pabulum Mater petit:
Sol fervit, & fit nihil: Amici non erant.
Tunc ille rurſus Filio: næ vt plurimùm
Sunt neglegentes hoc Amici tempore:
Quin potiùs imus, & Propinquos ſcilicet
Rogamus, adſint ad metendum craſtinò.
Pulli trementes dicta Matri nuntiant.
Hortatur, vt tum quoque metu ac cura vacent:
Nullos Propinquos tam paratos obſequi,
Vt ad laborem præmii expertes gravem
Sic & vocentur, & vocati pareant.
Vos diligenter modò, ait illa, advortite;
Quodcumque tandem dicet ille denuo.
Solitum ſequenti volitat ad paſtum die.
Operam Propinqui commodare ſuperſedent.

Tandem ſatorum Dominus Adoleſcentulo:
Valeant Amici cum Propinquis: afferes
Falces gemellas, Phœbus vt primùm novus
Luſtrabit alta montium cacumina.
Vnam ipſe ſumam, tuque ſumes alteram,
Et noſmetipſi craſtinâ demum die
Frumenta noſtris demetemus dexteris.
Id vbi reverſa ſcivit ex Pullis Parens,
Iam tempus, ait, eſt exeundi: craſtinò
Fiet profectò, quod futurum protulit:
Iam quippe in ipſo, cuja res eſt maxumè,
Non in Propinquis aut Amicis vertitur.
Caſsita nidum ſic migravit, & fuit
A Patre meſſa Filioque ſic ſeges.
NVBLÆE, *delibate flos facundiæ,*
Themidis Sacerdos, cultor integer Boni,
Phrygius monebat hac Sophus te fabulâ,
Nil poſcere alios, agere quod per te queas.

DE PHYLLIDE ET DORIDE.

PHYLLIDA *deperii, celebravi Dorida cantu:*
An potiùs nobis Doris amata fuit?

AD
NOBILISSIMVM PAR FRATRVM ERRICVM ET HADRIANVM VALESIOS,
EPISTOLA.

QVID *rerum geritis*, VALESI *vterque*,
Fratrum nobile par disertiorum?
Tu Major, Latiæ decus Camœnæ,
Et Musæ pariter decus Pelasgæ,
ERRICE, *an rigidi severiores*
Leges edere cogitas Draconis?
Doctum evolvere doctus Ammianum,
An sacros placet expolire Fastos?
Tu verò Minor, HADRIANE, *solis*
Annis sed minor, HADRIANE, *magno*
ERRICO, *an numeris Tibullianis,*
Aut ludis numeris Catullianis?
Iratusne truces vibras Iambos,
Invisum tibi qui petant Macrinum?
An sensus Iuvenalis eruditos
Scripto detegis eruditiore?
Aut chartis potiùs laboriosis
Annales Patriæ explicas vetustos?
Certè quidquid erit, disertiorum
Scribet quod calamus VALESIORVM,

Ætatem feret, & Bonis placebit.
Quid rerum gerit ille noster, ille
Doctis Versiculis, Epistolisque
Iam toto celeber MARESVS *orbe?*
Sinceræ pietatis ille vindex,
Quo nec candidior, benigniorque,
Sed nec doctior, eruditiorve est,
Quid LAVNOIVS? *ecquid ille comis,*
Prudens, officiosus, eruditus,
Vestri deliciæ fori NVBLÆVS?
Quid rerum geritis? valetis omnes?
Ipsi nil gerimus negotiosi,
Et vitam miseramque, flebilemque
Ægre ducimus & laboriosè.
Illa scilicet inchoata nobis
Interrupta manent. Originumque
Moles surgere jam nequit relicta:
Vitæ Grajugenûm jacent Sophorum,
Et Iuris veteres jacent Periti.
Heu! visum Veneri, Cupidinique
Circa lustra novem (ah pudet!) misella
Intermissa diu movere bella.
Dum nuper Ligeris superba nostri
Incauti spatiamur ad fluenta,
Heu! nostrum feriit Puella pectus:
Pulcris pulcrior ah! Puella Divis;
Duro durior at Puella saxo,
Sævo sævior & Puella ponto.
Heu! miser pereo impotente amore.
O cælum & maria! ô Dei Deæque!
Totis ardeo saucius medullis.
Non tot spicula Gnossiæ pharetræ,
Ardens nec tot habet Vesevus ignes,
Fixas pectore quot gero sagittas,

Flammas pectore quot gero furentes.
Vos verò nimis ah! nimis beatos,
Fratrum nobile par disertiorum,
Quorum pectora firmiora nostris
Non urit Venus, aut ferit Cupido.

IN

LIBROS SERMONVM FRANCISCI METELLI BOSCOROBERTI.

SERMONES *patrio scripsit sermone* METELLVS,
Officeret famæ ne, VENVSINE, *tua.*

SVBSCRIBENDVM IMAGINI SERENISSIMÆ CHRISTINÆ.

CASTALIDVM *quæ regna tenet, quæ Gotthica liquit,*
Aurea CHRISTINÆ *Virginis ora vides.*

SVBSCRIBENDVM
IMAGINI
IOANNIS CAPELLANI,
EPICORVM PRINCIPIS.

AD bellum LVDOVIX *alter mittatur Achilles,*
Qui canat Heroas alter Homerus adest.

GVILLELMI MENAGII,
REGII APVD ANDES
ADVOCATI ET SENATORIS,
Viri integerrimi, ſapientiſſimi, doctiſſimi, eloquentiſſimi
TVMVLVS.

ANDINI lux alma Fori, lux alma Senatus,
Conditur hoc Sapiens marmore MENAGIVS.

AD
NICOLAVM HEINSIVM
DANIELIS FIL.
OVIDII EDITOREM.

PRoles *maxima maximi Parentis,*
HEINSI, *Castaliæ decus catervæ,*
Lis est, nec levis, inter Eruditos,
Docto profueris magis Poëtæ,
Quem tu sedulus exhibes legendum,
Qualem Maximus aut Corinna legit:
Illi offeceris an magis, disertum
Qui Vatem superas & eruditum
Disertis Elegis & eruditis.

AMYNTAS
AVCEPS.
ELEGEIDION.

QVA' *Medoniacos liquidis argenteus undis*
Mille per anfractus Sequana lambit agros,
Captabat laqueo volucres formosus Amyntas;
Cùm vênit tacito pulcra LAVERNA *pede.*

Nemo illâ quidquam vidit formosius : altis
Non qui Dictynnam mergere corpus aquis :
Non qui nudantes (ô terque quaterque beatum!)
Idæo vidit vertice membra Deas.
Latæ oculis lumen radiabat dulce juventæ :
Splendebant vultu mista ligustra rosis.
Et fusci niveâ crines cervice fluebant :
Turgebat niveo nuda papilla sinu.
Quà passim nitidùm fulgentia lumina flectit,
Ecce fugat vasto nubila densa polo.
Fundit odoratos tellus tibi prodiga flores,
Incedit facili quà vaga Nympha gradu.
Auroram chorus Alituum ratus esse, vagatur;
Et circum liquido gutture dulce canit.
Perstrepit omnis ager ; subitò cùm voce canora
Flebile nescio quid blanda Puella sonat.
Iam silet omnis ager, Zephyri, lymphæque loquaces:
Iam Volucres passim, garrula turba, silent.
Attonitis Nymphen oculis miratur Amyntas,
Et missam cælo credit adesse Deam.
Miranti manibus geminæ fugêre volucres,
Prædáque formosæ Virginis ipse fuit.

IN
ECLOGAS GALLICAS
IOANNIS REGINALDI SEGRESII,
POETÆ TENERRIMI,
ET
INTER BVCOLICOS PRÆSTANTISSIMI.

Myrtea, Pastores, tenero date serta Poëtæ,
Qui cecinit cultis Pascua vestra modis;
Qui Venerem Cælo vestros deduxit in Agros,
Et docet Agrestes verba venusta loqui.
Talis in apricis formosa ad flumina campis
Pascebat niveas pulcer Adonis oves:
Non alios Pastor calamos inflavit Apollo;
Non alios docto concinit ore sonos.

AD

STEPHANVM BACHOTVM MEDICVM PARISIENSEM,

ELEGIA.

AT te, cui medicas concessit Delius artes,
O Patriæ, ô nostrum, dulcis Amice, decus;
Ne mihi, ne pigeat fido, veterique Sodali,
Ne pigeat medicas applicuisse manus.
Vror, vt incensæ campis vruntur aristæ;
Vruntur sacris vt pia thura focis.
Mitiùs Ætnæis ardent fornacibus ignes:
Ardet magnanimi mitiùs ira Iovis.
In nos tota ruens Cyprum Cytherea reliquit:
In nos cuncta ferus spicula torsit Amor.
Sæpe ego mutatis hanc pestem pellere terris,
Sæpe ego tentavi pellere carminibus.
Otia, quæ caussæ & blandi sunt pabula amoris,
Vitavi monitis, Naso diserte, tuis.
Omnia sunt nobis tentata: sed omnia frustra.
Ah! mihi fatalem mors venit ante diem:
Nam neque adhuc frontem mihi ruga senilis aravit,
Infecitve nigras cana senecta comas.
Vre, seca: spes sit modò non incerta salutis,
Ignesque & ferrum fortiter ipse feram.
Succos mille mihi mitis tua dextra, sapores
Mille venenatos porrigat, ipse bibam.
Lurida Medeæ, Circes non atra recuso
Pocula, Tartareis æmula fluminibus.

Lenis ades, facilisque tuo succurre Sodali,
Namque potes: medicæ sentiat artis opem.
Et memini, meque æternùm meminisse decebit,
Sæpe tuâ noster concidit arte dolor.
Quòd spiro, quòd adhuc vitales carpimus auras,
Id quoque muneris est, docte BACHOTE, *tui.*
Arida serpebat fervens per viscera febris:
Quassabat miserum tussis acerba latus:
Tetro humore graves somnus fugiebat ocellos:
Crescebat sicco lentus in ore cibus;
Et tamen, Asclepî doctâ mirante catervâ,
Restituit Musis me tua cura meis.
Sed quid vana precor? mentem dolor abstulit amens.
Auxilium vincunt heu! mala nostra tuum.
Quo premimur morbo non est medicabilis herbis:
Nescit Amor succis cedere Pæoniis.
Martia Grajugenis scit vellere tela Machaon,
Non quæ lascivus spicula figit Amor.
Quos febris accendit, rapidos Epidaurius ignes
Sedat, non flammas, sæve Cupido, tuas.
Auctor opis medicæ sanare potentibus herbis
Nec potuit curas Delius ipse suas.
Primus amor Phœbi testis Peneïa Virgo,
Torsit amatorem quæ fugitiva Deum.
At tu, sæve nimis, nimis ah! scelerate Cupido,
Quid nostrum torques indomito igne jecur?
Quid tantum merui? neque enim tua numina læsi;
Deserui miles nec tua castra tuus.
Te Dominum colui, servît tibi dedita semper
Ars mea, quid Famulum lædis acerbe tuum?
Sæve Puer, vocat alma tuum me Gallia Vatem:
Immerito Vati parce nocere tuo.
Te meminisse decet variis quot Carmina linguis
Condidit in laudes nostra Thalia tuas.

Te meminisse decet, formas mutatus in omnes
Vt latui, miles dum tua signa sequor:
Nam modò cæruleas Ligeris Piscator ad vndas,
Et sedi niveas Vpilio inter oves.
Et modò Venator, durus modò Messor amavi,
Quà placidus liquidas Sequana volvit aquas:
Captavi Volucres, consevi floribus Hortos,
Dum colerem pulcris Oromedonta jugis.
Ergo ades, & placido Famulum bonus adspice vultu,
Parce, precor, Vati parce nocere tuo.
At nil proficimus: probris nec tangitur vllis,
Et blandas durâ despicit aure preces.
Heu! tellus linquenda mihi: mihi tristia regna,
Regna mihi inferni sunt adeunda Iovis.
Sed quid vana tremo? turpis non conscia facti
Nil sibi, nil metuet nobilis Vmbra mei.
Non sibi, non metuet rapidosve Ixionis orbes;
Aut, quæ discerpunt viscera semper, aves:
Non quas captat hians fugientes Tantalus vndas,
Aut, quæ frustrantur dolia semper, aquas.
Insontem non me tenebrosa in Tartara mittet
Æacus: ipse nemus ducet in Elysium.
Frondibus æternis illic & myrtea silva,
Lætáque perpetuo gramine vernat humus.
Inter odoratas myrtos & gramina, blando
Murmure lympha fugit, dulcè queruntur aves.
Hîc choreæ & cantus. Vatum locus ille sacrorum,
Mente piâ æternos qui coluere Deos.
Huc me adventantem, facilis quia semper amavi,
Mollibus & lusit nostra Thalia modis,
Comiter excipient faciles qui semper amarunt,
Et quibus afflavit carmina mollis Amor,
Teïus & Vates, & Vates Lesbia, doctus
Trinacriæ Iuvenis, Æoliusque Senex:

Et Naso, ille tener teneri Præceptor Amoris:
Et quem oculis cepit Cynthia prima suis.
Obvius at nobis veniet, mea cura, Tibullus;
Et tu deliciæ, docte Catulle, meæ.
Festinus venies, olim mea fervida cura,
Tu quoque cum Laurâ, culte Petrarcha, tuâ.
Sed mea Francigenæ celebrabunt funera Vates
Interea, & cineri florida serta dabunt.
Ecce Cothurnatos ducit CORNELIVS: *atrâ*
Indutus pallâ sceptra caduca gerit.
Et tragicùm exclamans, nunc plangit pectora palmis,
Grandia nunc largis fletibus ora rigat.
Ecce CAPELLANVS *ducit, comitante* MARESO,
Qui celebrant forti fortia facta pede.
Mæonidæ dextrâ, levâ tenet ecce Maronis
Carmina. jam mœstæ concinuere Tubæ.
Nec procul hinc Vates, magno præeunte RACANO,
Qui celebrant Lyricis grandia facta modis.
Pectore anhelanti tristes suspiria ducunt.
Plectra jacent: pendet muta dolore Chelys.
Mox prait, ipse tener, teneris PELLISSO *Poëtis.*
Cingit odoratas myrtea virga comas:
Sed pharetram eversam, fractosque Cupidinis arcus,
Et tenet exstinctam languida dextra facem.
Tenuia deducens alterno Carmina versu,
(Virgilius cecinit qualia, Daphni, tibi.)
Te duce, SEGRESI, *Pastorum turba disertorum*
Incedit mœstas tristis ad exsequias.
Fallimur? an Vatum ducit FVRTERIVS *agmen,*
Carpere queis mores Musa severa dedit?
Ducis, SCARRO *æger, dictu mirabile, ducis*
Ludere queis blandè Musa jocosa dedit.
Postremi veniunt densi longo ordine Vates,
Quos juvat argutis ludere Carminibus.

Adſpice, vt his longo magnus prait intervallo
MÆNARDVS, culti Rex Epigrammatii.
Feſtivam teneris Erato qua verſibus æquans,
VECTVRVM teneris vincit Epiſtoliis,
Cui genus Heroum, Divûmque à ſanguine, blanda
Non deerit noſtris SVSIA funeribus.
Gallica non SAPPHO, tenerorum mater Amorum,
Æolia potuit quæ ſuperare ſonos.
Tu quoque mæſta aderis, docta decus addita turbæ,
CLAVDIA, Colteto conjuge digna tuo;
Et mea non parco decorabis funera fletu.
Flebit & effuſis noſtra Puella comis;
Et me, ſæva minùs, ſerò mærebit ademptum,
Quæ vivum innumeris torſerat antè modis.
Flebit. non admorunt naſcenti vbera Tigres:
Non peperit diram dira Leæna Feram.
At tu marmoreo Carmen mihi tale benignus
Inſcribi Tumulo, dulcis Amice, jube:
Triſtibus ille Elegis triſtes qui flevit amores;
Qui cecinit lætis Paſcua læta modis,
Hîc ſitus eſt longâ conſumtus morte MENALCAS;
Cauſſa fuit ſævæ ſævæ Puella necis.
Fors erit vt Cineres, longè venientibus annis,
Inviſant Iuvenum turba diſerta meos:
Et Tumulum oſtendent, & blandis, Hic quoque Vates,
Virginibus dicent, Servus Amoris erat.
Sed niger ad Stygias inclamans Portitor vndas
Nos vocat: æternùm, dulcis Amice, vale.

AD
PETRVM COSTARDVM VRBANISSIMVM RVSTICVM,
O D E.

O *Te beatum, qui procul Luteciâ,*
Aulâque & Aulicis procul,
COSTARDE, *curis liber infelicibus,*
Liberque vivis ambitu!
At nos superba patimur (ah pudet, pudet!)
Potentium fastidia.
At nos superba terimus (ah piget, piget!)
Potentiorum limina.
Et studia amica Calumniator improbus
Diris moratur litibus;
Ævumque nobis omne frustra labitur
Negotioso in otio.
Tu rure vitam literato in otio,
Dulci & quiete transigis;
Sophiæque blando delitescens in sinu,
Tuusque vivis & tuis.
Tu delicato prata per Parnasia
Nunc carpis ungue flosculos;
Piis amici Manibus VECTVRII
Quos spargis haud parcâ manu.
Nunc eruditas exarans Epistolas,
Lepôre tinctas Attico,
(Nec ipse, chartis qui movet bellum tuis,
GIRACVS *id negaverit)*

Lepôre cultos provocas VECTVRIOS,
Et pæne vincis BALZACOS.
Nunc in reductis abditus convallibus
Amœna captas frigora;
Leporemque láqueo, Avesque visco decipis,
Fallisque Cervos retibus.
Hos innocentes Rura vestra scilicet
Novere duntaxat dolos.
Et nunc sonoras Vineæ ad ripas vagi
Non otiosus ambulans,
Doctis disertus explicas Sodalibus
Nomenque, vimque graminum.
Mox sumptuosa ducitis convivia,
Dapibus parata rusticis.
Turdusque pinguis, & anser, & gallus spado
Vestro palato nascitur:
Mellita ficus, dulcis haud desit pepo,
Certans & vva nectari.
O te beatum, qui procul Luteciâ,
Aulâque & Aulicis procul,
COSTARDE, *curis liber infelicibus,*
Liberque vivis ambitu!
Qui fortis audet purpuram contemnere,
Is major omni purpura est:
Nec est beatus, qui cupita possidet;
Sed qui negata non cupit.

IN OBITVM
PETRI GASSENDI
AD
HENRICVM LVDOVICVM HABERTVM MONMORIVM
Magiſtrum libellorum ſupplicum
ELEGEIA.

ET meritò, quoniam GASSENDI *funera cernis,*
Defluit ex oculis plurima gutta tuis.
Omnibus ille quidem Sophiæ qui caſtra ſequuntur
Flebilis, at nulli quàm tibi flebilior
Occidit. Ille vias Solis, Lunæque labores,
Stellarumque ortus noverat atque obitus.
Noverat & rerum cauſſas, primordia Mundi,
Dicitur antiquum quas peperiſſe Chaos:
Quid celſi ſpecubus Montes, vitreoque Profundum
Gurgite, quid gremio Terra benigna ferat:
Gramina cur vireant, albeſcant Lilia campis,
Chloris odoratas purpuret vnde Roſas.
Cuncta illi Natura parens arcana retexit:
Cuncta dedit Veterum dogmata noſſe Sophûm.
Noverat vmbroſi ſolers præcepta Lycei,
Protulit & dius quæ documenta Plato.
Quæque Cyrenæus ſanxit decreta Magiſter,
Et nimiùm, Pyrrho, quæ placuere tibi.

Callebat rigidi ſequitur quæ turba Cleanthis,
Et quæ magnanimi libera turba Canis,
Quæque, pater Veri, cultis Gargettius hortis
Diſcipulos docuit dogmata blanda ſuos.
Lumine & ingenii denſas luſtrare tenebras,
Occluſas valuit & reſerare vias.
Ille novos priſcis afflabat rebus honores:
Lenibat placidis aſpera dicta modis.
Iuſſit & arentes Sophiæ floreſcere campos,
Perque illum potuit ſentibus eſſe decor.
Non illum Veterum potuerunt fallere, magnos
Fallere quæ poſſunt, nomina magna, Viros.
Stellaſque inſontes, & neſcia ſidera Fati
Vidit, & arbitrio pectora noſtra regi.
Dignabare virum hoſpitio, mensâque fovebas:
Et poteras vultu, colloquioque frui.
Naſcentes poteras animi pernoſcere ſenſus:
Gaudebas ſcriptum volvere primus opus:
Ac meritò, quoniam GASSENDO *funera ducis,*
Labitur ex oculis lacrima multa tuis.
Sed tamen & lacrimis poſuit Sapientia fines,
Et nimiis voluit queſtibus eſſe modum.
Quid juvat adſiduo corrumpere lumina fletu?
Sic memorem felix te vetat eſſe ſui.
Iam pedibus nubes, pedibus jam ſidera calcat
GASSENDVS; *fruitur jam propiore polo.*
Purgatâ jam mente videt Pulcrique, Bonique
Fontem ipſum, & cupido, quem ſitit, ore bibit.
Defuncti potiùs ſparſas pone ordine chartas,
Vranie chartas quas velit eſſe ſuas:
Digeſtaſque effer dias in luminis oras,
Vt volitent docta docta per ora Virûm.
Ergo querelarum, tam largi & deſine fletus:
Efferimus pariter efferimurque Homines.

Vsque adeone novum est Mortalem occumbere morti?
Vsque adeone novum est occubuisse Senem?
Ah mihi nunc animo crebris densata recursant
Tristia Amicorum funera funeribus.
SIRMONDI *aeternus domitos sopor urget ocellos,*
Inveniet numquam cui pia Roma parem.
Ah memini! moriens mœstâ me voce vocabat:
Lugentem tenuit me moriente manu.
At procul à patria, peregrino in litore, magnum
Et mihi GROTIADEN *abstulit atra dies:*
GROTIADEN, *quo non majorem prisca tulere*
Tempora, cui similem quando futura ferent?
Et tua, BALZACI, *clausit mors ora diserta,*
Ipsa quibus Pitho sedit, & ipsa Charis.
Tuque Camœnarum decus immortale mearum,
Tu columen Pindi, tu, PVTEANE, *jaces.*
Et meus exiguo tegitur SALMASIVS *ingens*
Marmore, grande tuum, Gallia docta, decus:
Totque immortales, struxit quos dextra, labores
Eripere illum avidis non potuere rogis.
Occidit & nostri sidus PETAVIVS *aevi,*
Quo non in toto doctior orbe fuit.
Tempora, quae recto digesserat ordine, lentâ
Non puduit tantum tollere morte virum.
Tu quoque (sed faxint, videam ne talia, Divi:
Non oculis possim tantum ego ferre nefas)
Maxima, MONMORI, *deberis victima Leto;*
MONMORI, *innumeros vivere digne dies.*
Et tellus linquenda tibi, Conjuxque, Domusque,
Et quae mille secant arva relicta boves.
Non tua te pietas, non virtus eximet Orco;
Non comes ingenui pectoris ille pudor;
Et numquam violata fides, servatáque semper
Fœdera, & in cunctos officiosus amor.

Non Cælo revocata, tuo quæ pectore sedem
Quæsitam dudum repperit, alma Themis.
Non quæ docta ducem sequitur te turba Sophorum;
Scriptorum nec te quæ pia turba colit:
Nec tua quæ docti mirantur Carmina Vates,
Carmina Cecropios vincere digna sales.
Perpetuum nil Orbis habet. quæ sæcula vincunt,
Ipsa etiam vincet marmora Tempus edax.
Quique ævum immensum volvit per sæcula Titan,
Corruet; & sæclis concidet ipse polus.
Indomitâ æternùm soli stant morte carentes
Divi: Semideos sternit & illa solo.
Ipse tamen solitâ Mortalem occumbere morte
Questibus æternis, dulcis Amice, doles.
Nulla animo admittis mœsti solatia luctus:
Tu veniente die, tu fugiente doles.
Pone modum lacrimis: GASSENDVM *plangere functum*
Desine; divinus, non Deus ille fuit.

Epitaphium Hermagoræ.

QVI *semper jacuit, hîc jacet Hermagoras.*

AD GVILLELMVM LAMONÆVM

Magiſtrum libellorum ſupplicum,

EVCHARISTICON EXTEMPORALE.

O nitida, ô grata, ô formoſa, ô dulcia mala,
Menagio mittis quæ, LAMONÆE, *tuo!*
Tityrus his potuit mercari blandus amores,
Sive, Amarylli, tuos; ſeu, Galatea, tuos.
Hæc poterant curſum celeris tardare Puellæ,
Quæ poterat curſu vincere & Hippomenem.
Talia Maſſyli fulgebant poma Draconis:
Talibus Alcinoi fertilis hortus erat.
